DE
D. M. AUSONII
OPERIBUS
ET GENERE DICENDI

APUD

CLAROMONTENSEM LITTERARUM FACULTATEM

DISSEREBAT

EDUARDUS EVERAT

APUD ADPELLATIONUM CURIAM RICOMAGENSEM
ADVOCATUS.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD ERN. THORIN, BIBLIOPOLAM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

—

1885

DE D. M. AUSONII

OPERIBUS ET GENERE DICENDI

E TYPIS A. PICHAT, CASTELLIONE AD SEQUANAM.

DE

D. M. AUSONII

OPERIBUS

ET GENERE DICENDI

APUD

CLAROMONTENSEM LITTERARUM FACULTATEM

DISSEREBAT

EDUARDUS EVERAT

APUD ADPELLATIONUM CURIAM RICOMAGENSEM
ADVOCATUS.

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD ERN. THORIN, BIBLIOPOLAM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

1885

DECANO PROFESSORIBUSQUE

CLAROMONTENSIS LITTERARUM FACULTATIS

Gratus offerebat

EDUARDUS EVERAT,

Apud adpellationum Curiam Ricomagensem advocatus.

DE D. M. AUSONII
OPERIBUS ET GENERE DICENDI.

CAPUT PRIMUM.

AUSONIUS PROFESSOR.

Decimus aut Decius Magnus Ausonius Burdigalæ, anno circiter trecentesimo nono post Jesum-Christum, natus est. Cujus pater, Julius Ausonius, qui medicæ arti addictus, ingenio præstanti, indole eximia atque abstrusiori scientia famam magnam assecutus fuerat; mater autem Æ. Æonia a majoribus, olim apud Æduos genere et divitiis nobilibus, orta.

At vero inter auctores non constat utrum vera an falsa sint Nostri prænomina superius tradita : nonnulli enim, haud immerito quidem, Ausonium Decii aut Decimi prænomen a quibusdam accepisse putaverunt, qui, tota via graviter errantes, illum eumdem ac Sanctum Ausonium, primum Engolismensem episcopum, contenderint.

Jam domus tota infantem amore sollicitisque curis circumdedit. Avia, Æ. Corinthia Maura, « blanda sub austeris imbuit imperiis » eum monitis, quæ servanda matertera Hilaria curabat; pariterque Æm. Dryadia, altera ejus matertera, « in hunc discebat mater uti fieret. » Avus vero Cæcilius qui, cœli numerorum et consciorum fati siderum peritus, Chaldaïcam exercebat artem, ex die natali prædixit quo felici fato nepoti nasci contigisset. Illustre enim astra indicaverunt, consentientia cum noto Juvenalis versu :

Si fortuna volet,...
... Fies de rhetore consul.

Quod profecto haud fefellit eventus.

Nam, ut primum e pueris excessit Ausonius, ad eas collatus fuit artes quibus adolescentes ad humanitatem antiquissima cura, hac ipsa ætate, informari solebant. Gallia enim, eo ipso tempore quo,(omnibus summa licentia et ignavia permixtis, barbaris undique prementibus), imperium romanum præda ultro offerebatur, græca comitate referta, eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluebat. In quacumque enim civitatis parte multa florebant gymnasia, inter quæ honestissima de litteris ediscendis erat certatio. Juvenes ad eas scholas, sicut ad sedes Musarum et ingenuarum artium fontes, confertim concurrebant; eæque honestæ disciplinæ in Gallia tanto excolebantur studio, oratoresque et poetæ, et historici tam multi vigebant, ut præclaros Augusti ætatis dies, tanta barbarie undique circumfusa, reductos dixisses. Nec mireris : cum egregia eximiaque gallici populi indoles, qui ab ipsa natura promptam et paratam vel in excogitando,

vel in agendo solertiam accepisset, et sese honorum ac gloriæ cupidissimum præberet, — tum constans sagaxque consuetudo imperatorum qui disciplinas in hac regione singulariter auxerant, et multis beneficiis illius gymnasia affecerant, quibus de causis, hisce temporibus, litteris excelluerit Gallia, facile testantur. Inde Ausonii pater, qui in quolibet disciplinarum genere versabatur exercitatissimus, non is erat qui filium liberalium studiorum rudem pateretur. Natum igitur suum Æ. M. Arborio, conjugis fratri, qui rhetoricam artem summa fama tradebat, erudiendum credidit. Primo, Noster Burdigalensium professorum auditor evasit. Utrique linguæ ediscendæ, græcæ scilicet et latinæ, ut mos erat, incubuit. Quem Macrinus latinam, Corinthius vero et Sperchius grammatici Atticas Musas vocesque græcas edocuerunt, sed, ut fatetur ipse poeta, « sine cultu . » Ad eloquentiæ studium mox sese convertit, atque ad illam eum maxime informavit T. V. Minervius, quem Ausonius sic alloquitur : « alter rhetoricæ Quintiliane togæ. » Tandem ab avunculo Arborio Tolosam, in qua docentes discipulique tam acriter et præclare studiis vacabant, ut Palladiæ cognomen civitati fuisset impositum, arcessitus fuit. In hac urbe liberalem institutionem perfecit, jamjam poesi philosophicisque controversiis, et dialecticis rationibus ac scientiis mathematicis eruditus.

Tum forum celebravit ; mox autem ipsi quem ambitionis stimulus incitabat, nihil docendi cura antiquius fuit. Per litteras enim reipublicæ munera suscipere jamdudum soliti erant. Quod et testatur Symmachus ipse, dicens : « Iter ad capessendos magistratus sæpe litteris promove-

1. Prof., x, viii. — Vide infra, cap. iv.

tur [1]. » Nemo ad ea evehebatur, quin multa amœnitate ingenii et varia eruditione esset commendabilis, cum hæc officia, digne obeunda, scientiam ab eo qui illa appetebat requirerent. Non modo legum jurisque romani peritissimum, sed maxime in eloquentia versatum ea ætate decebat esse quemlibet, ut ad quæstoris aut præfecti aut provinciæ procuratoris munus sibi viam muniret. Dein, quæ imperatores, Vespasianus, Hadrianus, Alexander Severus, Diocletianus ejusque successores in professores certatim contulerant privilegia aut stipendia, hæc majora docentibus commoda afferebant, quam ut litteris tradendis permulti avide non pro virili parte indulgerent. Tandem, eam famam gallica gymnasia, in dies florentia, consecuta fuerant, ut ex illis non tantum remotæ regiones, sed eæ etiam in quibus diligentissime colebantur disciplinæ, nobili mutatione sibi sæpius professores vindicarent, ea præsertim mente ut propriam propagarent gloriam. Ita, Patera (ut æquales poetæ nostri modo recenseam) Romæ docebat, ibique multos insignes viros informavit ad eloquentiam. Minervio quoque, Ausonii ipsius magistro,

Illustres... præceptore fuerunt
Constantinopolis, Roma.

Magnum Arborium, avunculum ejusdem. et Constantinopolim, Cæsaris optimis institutis imbuendi causa [2], non mediocris fama adscivit.

Quibus certe omnibus Ausonius adductus est ut inter Burdigalensis gymnasii professores se admittendum cura-

1. Epist. I, 21.
2. Prof., IV, I, XVI; Par., III.

ret. Urbis hujus scholæ, quarto sæculo, totius Galliæ erant illustrissimæ. Triginta circiter professores, cum rhetores, tum grammatici, græco latinove sermone in iis ad honestas artes plurimos adolescentes informabant. Quarum tanta prædicabatur nobilitas, ut alienigenæ docti, Citarii instar Siculi, aliquando cathedras ibi affectaverint, aliæque imperii urbes quosdam professores, aut saltem alumnos, æmulationis causa, ad se transferendos deprecatæ sint. Ex hoc gymnasio juvenes exortos ad summum honorum culmen sæpius evectos videre erat : Ausonius enim Minervii, « columinis Burdigalæ, » cathedram ita celebrat :

Mille foro dedit hæc juvenes, bis mille senatus
Adjecit numero, purpureisque togis [1].

Primum Ausonius Burdigalensibus auditoribus grammaticen tradidit. Quem vero grammaticum veteres intelligebant? Eum modo a quo pure et emendate aut scribendi aut dicendi accipiebantur præcepta? Quod verbum rectius interpretabantur. Suetonius omnesque grammatici scriptores manifesto declarant, arte grammatica omnium ætatis antiquæ operum interpretationem censuramque, et poetarum recitationem explicatumque contineri, ejusque esse non solum legere, sed comparare ac judicare. Duas enim partes, nempe philologiam et censuram, comprehendebat grammatici munus.

Philologia autem longius a veteribus producebatur quam vulgo creditum est. Ii enim fere omnes controversias ad grammaticas res reducebant; quare M. Fabius futuro oratori

1. Prof, I.

hujus artis et logicæ commendat studium. Cura maxima aspero atque inamabili etymologiæ labori vacabant.

Censura autem, apud græcos auctores, Homerum, Menandrum et Demosthenem scrutata est; apud latinos vero, primum veteres poetas, Nævium, Ennium, Pacuvium, (inde archaïsmi studium evasit, quod in quarti sæculi scriptoribus eminet, atque in D.M. Ausonio infra notabimus[1],) dein, eos qui proprio fulgore antecessores tenebris involverunt, Lucretium, Horatium, Virgilium maxime. In Virgilium enim totam convertunt operam hujus ætatis censores. Profitentur autem interpretes quomodo P. Maro philosophia poemata imbuerit, quidquid sideralis scientiæ collegerit, quæ usurpaverit e Græcis, qua mirabili arte ab Homero aurum rapuerit, qua solerti industria aliena fecerit propria, quomodo vel rudi et inculto Ennio fuerit usus. Hunc M. Tullio ipsi anteponebant, quod, commovendi animos scientia jam excellens, imo latentia dicendi artificia comparavisset.

Adde quod Virgilius jamdiu dei instar colebatur. Cujus statua, in Alex. Severi sacrario erecta, habebatur numen. Eo ipso tempore, nomen ejus in fastis inscriptum est; natalisque dies, prout imperatoris, pridie idus octobris, celebrabatur. Ad ejus sepulcrum peregrini confluebant, laurusque qua vestiebatur nobilitata erat. Itaque Virgiliana gloria in dies crescit : excutiendis ejus operibus jam incumbunt interpretes multi, Donatus, Servius, Charisius, Diomedes, totque alii. Inde alta P. Maronis poesis notitia, qua sæculi quarti poetarum, præsertim Ausonii, carmina fulgent [2].

1. Vide infra, cap. IV.
2. Vide infra, cap. IV.

Grammatici igitur auctores legebant et interpretabantur. Oportebat ut lectionibus publicis manuscriptorum inopiam supplerent, et scriptorum servarent integritatem, a librariis in discrimen adductam, atque ancipites obscurorum locorum significationes explicarent. Quamobrem grammatici munus tam grave quam difficile evadebat.

Tanta vero eruditione et acuitate ingenii Ausonius auditores grammaticam artem docuit, ut celeriter omnibus antecellere fama ipsi contigerit. Itaque, brevi tempore, rhetoris munere fungi jussus fuit. Rhetor enim, quantum conjectura assequor, majori honore quam grammaticus colebatur[1], cum lege a Gratiano imperatore lata (anno CCCLXXVI) constet rhetorem a fisco viginti quatuor annonarum emolumentis donari, grammaticum autem, latinum vel græcum, tantum duodecim. Adde quod rhetorum officium ad res multo gravioris momenti pertinebat. Nam hi, virorum, qui singulari dicendi facultate excelluerant, vestigiis insistere religiose studebant. Oratoris informandi munere accepto, gloriabantur quod hominem totum ratiocinationis consuetudine, cupiditatum disciplina, morum castigatione instituebant. Falso quidem, cum (ut sæpius accidebat) institutio illa in declamationum exercitationes vanas aut in non verisimiles de fictis materiis orationes declinaret: quibus formati, concionatores provincialium causas ad præfecti tribunal agebant, turgidasve condebant principibus gratiarum actiones. Magni tamen erat momenti eloquentiæ cultum retinuisse, oratoriæ assidue vacare arti, atque inter gentes origine, moribus, dialectis diversas, linguam latinam reddere nativam, qua primo imperium constrictum fuerat, Oc-

1. Vide infra, cap. III.

cidentis postea universæ partes in unum coalescere possent corpus.

Triginta autem annos Ausonius professoris officium obiit, multosque habuit discipulos, quorum quidam ad celebritatem pervenerunt, inter quos Pomponius Maximus Herculamus, (ut nonnullorum nomen tradam), sororis filius, et Pontius Meropius Paulinus, de quo infra dicemus [1].

Illustrissimus vero Ausonii discipulus, Gratianus fuit imperator. Gratianus nonum implebat annum, cum Valentinianus pater, qui ipsum Augustum jam designaverat, Ausonii scientia et fama motus, Burdigalensi doctori filium educandum credidit. Tunc Noster, votorum compos, Aquitaniam reliquit ut Trevirorum Augustam adiret.

Civitatis hujus scholæ a tertio sæculo insignes erant, a quo tempore præclarus C. Mamertinus, panegyricorum scriptor, et præcipue imperatores ibi potestatis sedem ac domicilium posuerant. Constantius Chlorus, ibidem moratus, urbem summa cura sic circumdedit ut, ad finem vergente sæculo, Trevirorum Augusta alia Roma, humanitatis, scientiarum et artium templum haberetur. Posteriori sæculo, clari ejus proceres, moribus exercitata pubes atque « æmula latinæ facundia linguæ » cum Catonibus certabant. Scholæ, auditoribus frequentissimæ, a peritissimis regebantur præceptoribus. Nec mirum si ea quam supra retulimus lege Gratianus illis majora emolumenta tribuit, cum cæteros et scientia et vitæ probitate verisimiliter superarent. Alumnos vero, præcipua obeuntes reipublicæ munera, Ausonius commemorat [2]. In eadem civitate sane erat hoc palatii collegium, apud Symmachum celebre, assueta

1. Cap. III.
2. Idyll., x, 383, 400.

profecto via qua ad honores ac dignitates perveniebant. Hæc scholarum fama sanctum Hieronymum Bonosumque amicum Trevirorum Augustam adduxit. Quorum itineris causa, vel jungenda cum doctis florentibus consuetudo, vel studiorum, quæ modo aggressi erant Romæ, perficiendorum cupiditas. Hic Hieronymus ad sanctam vitam mentem cœpit flectere : unde potest deduci, corruptos perditosque mores longe a scholis remotos fuisse, professoresque, ut commendabat quædam Valentiniani constitutio, « vita pariter et facundia idoneos » exstitisse. Quos haud attoniti audivimus grammaticos ibi per sex diei horas solitos recitare [1], ac Cratis aut Varronis similes videri. Unus ex illis, Harmonius, qui atticas latinasque musas sociabat, Homeri genuina verba quæ immutata fuerant, signatis verbis interpolatis, restituere tentaverat.

Quos omnes Ausonius, magna dicendi elegantia ingeniique sagacitate atque assiduo romanarum litterarum usu commendabilis, facile superavit, adeo quidem ut de omni genere poematum, certamine instituto, victor discesserit et coronam adeptus sit. Neque apud omnes in minori laude exstitit Ausonius, qui Gratianum discipulum, acre ingenium optimamque sortitum indolem, eximium principem, viriliter animoque magno ad bonum commune addictum effecerit. Itaque secundus exitus labori mox dedit mercedem; et Noster munera quævis a principe accepit. Primum comes palatii creatus, ad quæstoriam evehitur dignitatem; tum, Gratianus ipse, summus imperii factus rector, illum Africæ et Italiæ præfectum, dein Galliarum, eligit. Tandem hunc ad supremum consulatus honorem erigit. Ita formulam vitæ, ab avo olim conditam, Ausonius exsequebatur! Au-

1. Ep. XVIII.

sonii consulatus e Theodosio, Augusto creato atque ad imperium vocato, et e Longobardis in Occidentem primum tentantibus impetum claritudinem traxit.

At vero post tres annos, Gratianus a Maximo Lugduni occisus est. Ægritudine confectus, Ausonius, Theodosii licet beneficiis in aula regia quasi adstrictus teneretur, Trevirorum Augustam reliquit, et Burdigalam, in patriam, « nidum senectæ, » rediit. Divitiis affluens, plures habebat villas : hic extremum vitæ cursum inter otium, Musarumque cultum et amicos consumpsit. Educandos quoque nepotes curabat. Juventute adhuc florens, uxorem duxerat Attusiam Lucanam Sabinam, nobilem a proavis, natamque A. L. Talisio, Burdigalensi senatore. Attusia vero, cum « septenos quater decembres » implevit, supremam obiit diem [1]. Tandem Ausonius, senio labans, anno circiter trecentisimo nonagesimo quarto, mortuus est.

1. Par., IX.

CAPUT SECUNDUM.

AN AUSONIUS CHRISTIANUS ESSET.

Valde disputatum fuit de Ausonii religione. Plures auctores, merito quidem, ut mea opinio fert, hunc Christi discipulum, nomine saltem, contenderunt : nonnulli autem gentilem atque ethnicum fuisse. De quo uberius disseramus.

Ausonium christianum declaramus, primum, quod constat duas saltem illius cognatas puram traxisse vitam. Etsi non plane assentimur illustrissimis doctissimisque Monachis, ad regulam S. Benedicti informatis, qui J. Ausonium, poetæ patrem, christianum habent, — tamen verisimiliter credimus hujus materteram, Æm. Hilariam, amitamque J. Cataphroniam christianæ religionis disciplinam fuisse amplexas. Etenim utraque virgo devota erat : hoc de priori canit Ausonius :

Feminei sexus odium tibi semper: et inde
Crevit *devotæ virginitatis amor*,
Quæ tibi septenos novies est culta per annos
Quique ævi finis, ipse pudicitiæ [1].

1. Par., vi. 7.

Illud vero de posteriori :

> Innuba *devotæ* quæ *virginitatis amorem*
> Parcaque anus coluit [1].

Porro, tantum abest ut ethnica religio ad virginitatis cultum invitaret, — ut contra connubium viis quibuscumque adjuvaret. Imperatoribus enim florentibus, a jure civili vim et auctoritatem accipiebat femina, quibus facilius iniret matrimonium. Christi vero doctrina virginitatis cultum prædicavit, hancque mulieribus curavit servandam. Inde, haud immerito credere licet utramque Ausonii cognatam Christianis præceptis obtemperasse : poeta igitur iisdem præceptis a pueritia fuit imbuendus, cum ab Æm. Hilaria diligentius educatus fuerit :

> Tuque .... vice matris
> Affectu nati commemoranda pio [2].
>
> ... Quia, uti mater monitis et amore fovebas,
> Supremis reddo filius exsequiis [3].

Imo, ipsa soror, Julia Dryadia, christianum certo servabat ritum, prout versus illi denotant :

> Et verum vita cui carius ; *unaque cura*
> *Nosse Deum* [4].

Illud præterea nobis Ausonium fuisse Christianum probat, scilicet illum a Valentiniano imperatore inter multos

1. Par., xxvi, 3.
2. Par., vi, 1.
3. Ibid.
4. Par., xii, 7. — Arborius, Dryadiæ filius, ut similius veri est, Christum devotissime coluit. — De carmine Christiani Paulini Pellaei, nepotis Ausonii, *Eucharistou*, Hesperium, hujusce patrem, et Christianum fuisse constare mihi videtur.

electum, ut Gratiani filii præceptor fieret. Namque ille princeps per totam vitam, vel Juliano imperante, antiquissimo amore romanam coluit Ecclesiam, arianosque repressit. At quis intelligat quomodo imperator, tanta Christi pietate flagrans, filium suum carissimum ethnico viro educandum credere potuisset?

Præterea, discipulus ipse Ausonii, Gratianus, postea imperator factus, Christianus, sine controversia, erat : præceptorem vero illius falsa numina coluisse vehementer repugnare quis non existimet?

Tandem, ex Ausonii scriptis ipsum inter christianos annumerandum facile deducimus.

In *Ephemeride* enim, id est totius diei negotio, reperimus orationem, qua sententia nostra non vi mediocri fulciri videtur. Carmen illud firmissimam in Christo fidem confirmat, et verba solemnia continet, quæ a Christianis solis solent proferri. In quo poeta religionis Christi mysteria explicat et veneratur, atque æternitatem Dei creatoris maxime celebrat. Quod tam aperte patet, ut nonnulli illud non Ausonii, Sancti vero Paulini, ejus auditoris, opus contendant, idque inter Nolani episcopi carmina inserant : quam autem sententiam non confirmarunt. Aut cum Ausonius diei totius negotium notare vellet, orationem vel paganus omittere non poterat; sed, ethnicus si fuisset, Olympi diis preces profecto nuncupasset : quod diligenter cavit. Tandem, plures hujus orationis voces in versibus Paschalibus [1] iterum funduntur eædem : unde Ephemeridis carmen Ausonii opus habetur.

Illud demonstrationem perficit, nempe precationem illam cum reliquo carmine per hunc versum jungi : « *Satis pre-*

1. Idyll., i.

cum datum Deo; » quod Deo Christianorum orationem ante ceterorum diei negotiorum descriptionem positam manifesto demonstrat.

Carmen alterum idem confirmat, nempe oratio consulis Ausonii versibus rhopalicis, quæ adhuc poetæ nostri opus negatur. Attamen ipsius esse existimata est, atque illud notandum, si talia carmina Ausonii manu fuisse scripta putata sunt, necesse ut Ausonius non a sententiis, in illis versibus collatis, abhorruerit. Quomodo enim huic poetæ, aliqua veritatis specie, ea attribuissent, si ille inter ethnicos esset numerandus? At, hæc oratio Christiana mysteria aut sacramenta, prioris instar, in memoriam revocat.

Alia vero testimonia, quæ recusari a nullo possunt, non minus aperte christianam Ausonii religionem patefacient.

In multis locis, poeta confitetur non modo animæ immortalitatem, quæ et ab ethnicis fuit defensa, sed etiam futuram et æternam vitam, in qua homines, ævo semel defuncti, viventium fatorum adhuc sunt conscii, ac de illis curant, et quæ olim cunctis, post supremum Dei judicium, erit communis; præterea, precatur Noster ut parentum animæ requie æterna donentur : at hæ sententiæ, circumscriptis enuntiatæ verbis, christianæ religioni soli sunt propriæ :

Et modo conciliis animarum mixte piorum,
Fata tui certe nota nepotis habes [1].

— Tranquillos aviæ cinere præstate *quieti*
Æternum [2]...

1. Par., IV, 29.
2. Par., V, 11.

— Ergo *precare favens, ut* qualia tempora vitæ,
Talia et *ad manes otia Sanctus agat* [1].

— Memoria vivat nominum
Dum remeat illud, judicis dono Dei,
Commune cum Dis sæculum [2].

Præterea, quos notos paschales versus Ausonius, in aula regia hospes, edidit, illi a Christi discipulo tantum condi potuerunt. Namque, in hoc carmine, poeta non solum Pascha et « sancta salutiferi sollemnia Christi, » verum etiam Salvatorem Redemptoremque, filium Dei, ac Trinitatem Sanctam celebrat, cujus « terrenas apud oras » specimen in tribus Augustis invenit. Quis putet paganum vocabulorum ad historiam sacram pertinentium studiosum fuisse? Solus christianus eas fundere voces potuit [3].

Iterum quidem carmen illud Ausonii proprium negaverunt, qui poetam nostrum falsorum sectatorem numinum omnino volunt. Quorum vero opinio tam a veritate abhorret, ut vix necesse sit eam refellam. Versus enim Paschales ad hæc secundi idyllii verba referri possunt, quæ dubitationem tollunt omnem : « *Post Deum*, semper patrem colui. »

In grypho ternarii numeri, Ausonius rursus dicit :

Tres numerus super omnia, *tres Deus unus* [4].

Hosce adhuc scripsit versus in epistolis ad rhetorem Axium Paulum aut ad amicum Paulinum :

1. Par., xviii, 11.
2. Prof., xxvi, 11.
3. Idyll., i.
4. Idyll., xi, 88.

Propere dummodo jam venias,
Instantis revocant quia nos solennia Paschæ [1].

— Nos etenim primis *sanctam post Pascha* diebus
Avemus agrum visere [2].

... tum prata virentia, tum nemus umbris
Mobilibus, celebrique frequens *ecclesia* vico (exercent otia) [3].

— .. Certa est fiducia nobis,
Si *genitor natusque Dei* pia verba volentum
Accipiat, nostro reddi te posse precatu [4].

Adde quod Sanctus Paulinus, Ausonii discipulus, cum, Christo jam addictus soli, ad veterem magistrum epistolas mittit, non illum invitat, ut Christi fidem amplectatur, sed ut arctius excolat. Porro, si non Ausonius christianus fuisset, Paulinus quidem eum ad veram religionem fuisset conatus adducere : quod officium, Jovio scribens, suscepit [5]. Quin etiam, ex his potest fingi a Paulino Christianum fuisse compellatum :

Si tibi cura mei reditus, *illum adspice et ora*
Qui super omne quod est, vel in omnia totus ubique
Omnibus infusus rebus regit omnia Christus [6].

Hoc autem sequitur firmissimum gravissimumque argumentum : in eadem epistola, Paulinus Ausonio gratias agit magistro, quod per præcepta ejus sibi iter ad Christum aperuerit :

1. Ep. VIII, 8.
2. Ep. X, 17.
3. Ep. XXIII, 91.
4. Ep. XXIII, 112.
5. Paul. Ep. XVI, 6.
6. Paul. ad Aus. Ep. I, Carm. 110.

.... Si quid in actu
Ingeniove meo sua dignum ad munia vidit (Deus),
Gratia prima tibi, tibi gloria debita cedit,
Cujus præceptis partum est quod Christus amaret.

Quod controversiæ nodum exsolvere mihi videtur. Jamvero veniamus ad gratiarum actionem pro consulatu, multa continentem loca quæ, nostra quidem opinione, sententiam confirmant.

Primo, Gratianus, Paulini instar, in quibus litteris magistrum consulatu ornat, ipsum, antequam consilium illud inivit, ex ejus præceptis Dei auxilium invocasse declarat aperte : « Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, *ut velle te scivi*, consilium meum ad Deum retuli. »

Tum, Noster discipulo veteri gratulatur quod « nullum unquam diem ab adolescentia, *nisi adorato Dei numine*, » egit. Num talia emisisset verba, illaque laudi Gratiano vertisset, nisi ipse Deum adorasset! Quis hoc sibi animo possit fingere?

Addatur quod, concludens orationem suam, Ausonius, cum se gratias principi digne agendo inæqualem sentiat, ad Deum convertitur, ut præconio cumulum addat; hancque precationem promit : « Æterne omnium genitor, ipse non genite, opifex et causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti... » Dei nomen semper in agentis ore per totam orationem versatur. Paganorum non moris est hoc deprecandi genus usurpare.

Tandem, si omnem omnium Ausonii operum varietatem complecteris, illam christiano quodam colore vere sparsam notabis : ita, cum de supremo numine verba facit,

rarissime deos, fere vero semper *Deum unum* alloquitur. Nemo inter ethnicos auctores tam constantem fidem unquam fuisset professus.

Quibus igitur argumentis omnibus relatis, Christianum D. M. Ausonium fuisse merito possumus concludere.

At, objiciet aliquis, non ita a falsis numinibus alienus fuit, quorum nomen sæpius memorat, cum præsertim ab hoc vocabulorum genere Christianus abhorrere debeat. — Fateor quidem; sed illud tenendum est, ferme necesse fuisse, ut, qui litteras traderet, deorum nomina generisque eorum descriptiones ac singulorum potestates audientes doceret. Is erat mos, ut Tertullianus, in professores indignans, non dubitaret vetare ne quis Christianus disciplinas profiteretur.

At haud semel, ut in parentalium XV, XXII carminibus et commemorationis Burdigalensium professorum I, XXII, XXIII, de animæ immortalitate in dubium venit : porro Christianus infandum istud nunquam proferre ausus esset. — In illis de quibus agitur locis Ausonius vitam futuram non omnino inficiatur ; dubitativis modo utitur verbis, ne easdem sententias, jam prolatas, iisdem versibus exprimat, legentibusve tædium e jejuna et exili materia afferat. Quod indicant ii quos de ipso ævum sempiternum profitente supra retulimus versus ; et multi alii, quibus eamdem declarat fidem, sicut in parentalium V, IX, XVII, XIX.

At Ausonius, Christianos versus, cum in aula imperatorum versaretur, solum condidit : in Ephemeride, et paschali idyllio, gratiarumque actione romanam coluit religionem, illique se addictum prædicavit, ut Valentinianum vel Gratianum circumdaret obsequiis,itaque apud eos officia dextere obiret. — Quem talia dicentem si audias,

Nostrum nihil aliud nisi hominem vilem et abjectum profiteris. Nonne Ausonius principibus blandiri potuisset, quin prolixa idoneaque verba, quæ diximus, edidisset ? Dein, omissis quæ apud imperatores condidit carminibus, quot supersunt quæ, longe ab aula, Burdigalæ, aut in villis tradidit, Epistolæ, Parentalia, Professorum Commemoratio ! illa saltem, minime adulationis stimulo incitatus, protulit. At vero quarti aut quinti sæculi scriptoribus omnino supervacuum erat semetipsos, imperatores causa assentationibus prosequendi, christianæ religionis sectatores præstare. Principes quidem leges edicebant, quibus falsorum numinum cultus negligendus, Christi verò colendus esset; illi vero parum curabant utrum viri litteris dediti in operibus pagana christianave verba proferrent; quin etiam gratia muneribusque acerrimos ethnici ritus defensores, nempe (ne plures nominem) Symmachum, Liberium, Euriapem, Zozimum, Rutilium, libenter afficiebant.

Attamen fateri non dubitamus Ausonium Evangelii præceptis parum fuisse obedientem. Versus minime Christi religionem redolentes condidit; permulta ejus carmina, præsertim epigrammata plurima famosusque *Cento nuptialis*, fœdissima sunt, atque ore cynico sic edita fuere, ut ægre persuasum habere possimus eumdem hominem, quæ retulimus sancta et pura verba, ign miniosasque et turpissimas istas voces simul emisisse.

Nil vero mirum : Ausonius diu in regia aula permansit, in qua, ut mos est, pessima grassabatur morum corruptio. Valentinianus ipse imperator, christianam etsi religionem manifesto coluit, non rectam tamen integramque vitam semper egit, cum, « frivolum et nullius pretii opusculum » finxerit, fingique jusserit [1]. Non licet igitur e

summa versuum licentia Christiani nomen Ausonio abnuere. Eheu! tanta hominum imbecillitas, animique ignavia ut sæpe purissimæ religionis præcepta cupiditates libidinosas cohibere non valeant. Alioquin, pro certo habemus Nostrum improbos versus istos plerumque ea solamente edidisse, ut quidquam acute dictum aut quamdam litterarum mutationem haud omitteret; illa enim miserabili, nempe ingenioso viro omnia, vel petulantius scripta, esse ignoscenda, persuasione imbuebatur,

Præterea, haud negandum Ausonium mentis impetu, intemperata vi excogitandi, nimio ingeniorum antiquitatis excellentium amore et assidua meditatione, poetico denique furore ad mythicas fabulas quasi sponte sua impulsum fuisse. Studiorum in scholis vigentium genere ad ethnicorum deos colendos invitabatur, quamvis Deum solum et verum nosceret atque veneraretur. Inde sequitur, ut languide et molliter Christo servierit, quemadmodum fatetur ipse, nam illius « cohibuit pectore cultum [2]. » Symmacho enim, Christianis infensissimo, familiariter usus est, sed nullum ex hac tum ingenii, tum morum consuetudine certum argumentum capitur, cum alia ex parte Paulinum, qui jamjam Christum devoto prosequebatur cultu, optima voluntate inter amicos haberet.

Nobis igitur æquum videtur Christiani titulum Ausonio tribuere, sed una concedere hunc minimo religionem romanam cultu circumdedisse, ac sæpe nominis sancti carminum licentia vivendique genere fuisse oblitum.

Quam sententiam subtiliter confirmandam aggressi sumus, quo facilius deducatur quid de Ausonii genere dicendi sentiendum sit.

1. Idyll., XIII. Procem.
2. Idyll., I, 3.

CAPUT TERTIUM.

DE AUSONII OPERIBUS.

I. Præfatiunculæ.

Operibus Ausonii inscribuntur tres *præfatiunculæ*, aut litteræ ad Theodosium Augustum et Syagrium et Latinum Pacatum Drepanium missæ. Nihil vero notandum fere præbent. In prima enim poeta ipsum scribere, Augusto jubente, nos monet : per illam responsum Theodosii litteris forsan dedit, quibus imperator, privatæ caritatis jure, ab eo amanter postulaverat ne scriptorum ipsius lectione fraudaretur, operumque nondum in lucem editorum seriem desideraverat. — In secunda, Ausonius qua stirpe natus sit, quæque diversa obierit munera, celeriter enarrat. — Tertia vero festisvisimum carmen, quo versus poeta amico dicat.

II. Epigrammata.

Secundo, referuntur *epigrammata* ejus, centum et quinquaginta ad numerum. [1] Nonnulla inter hæc ingenii acu-

1. Nonnulla Nostri opus negantur. (R Peiper, *Die handschriftliche Uberlieferung des Ausonius* Lipsiæ, 1879, p. 226 sqq. — Cf. Reinhold Dezeimeris, *Corrections et remarques snr le texte de divers auteurs*, 3e série, p. 70, note 1, 1883, Bordeaux, Feret et fils. — C O. Axt, (*Quæstiones Ausonianæ*, Lipsiæ, 1873.)

mine ac lepore commendantur, verbi gratia, I-VII de Augusto laudando, XII in simulacrum Occasionis et Pœnitentiæ, XVII de Myrone et Laïde, XXIV ad libellum suum de Proculo, XXXIX et LXXVIII qualem velit amicam, etc. Plura vero fatua, ineptave aut insulsa, nullamque vim aut nullum habentia saporem. De puerilibus materiis solvuntur : sæpius, idem vario modo tractatur; varietate autem illa satietati non satis occurritur, nam nihil novi offertur aut jucundi. Adde quod multa inter hæc epigrammata obscenitate turpissima fœdantur.

Imo, easdem materias apud græcos auctores, Posidippum, Rufinum, Antipatrum, Anacreontem, Platonem, Anthologicorumque conditores tibi licet reperire; nam sæpius et Ausonius integra ferme horum verba repetiit ac serviliter expressit.

Rursus tamen gallici quidam scriptores nonnulla Nostri epigrammata, scilicet quæ magis elaborata concinnaque videbantur, imitati sunt vel e latina lingua in suam verterunt. Nobis notare concedas XVII de Myrone et Laïde, XLII de Pallade et Venere armata, LV Laïs dicans Veneri speculum suum, XXXIX et LXXVIII qualem velit amicam, LVII de imagine Veneris sculpta a Praxitele, CII ad Apollinem de Daphne puella fugiente, LXI-LXIII in buculam æream Myronis, etc[1].

Ante longius quam procedamus, mentionem de CXLVI epigrammate ad notarium velocissime excipientem faciamus : quod nobis testatur artem agentis voces per compendia tenendi gallicis scholis usui esse, quo facilius quæ docentes tradebant audientium memoria servarentur.

1. Inter quos imitatores mihi auctores gallice dictos la Monnoie, Ménage, Richer, Voltaire, Millevoye, J.-B. Rousseau, Fontenelle, Ronsard, etc. referre licet.

At Ausonii epigrammata, ut nonnulli haud immerito judicarunt, cum M. V. Martialis epigrammatibus ægre componerentur. Ejusdem generis condiderat carmina grammaticus quidam, vel scholasticus poeta, Pentadius nomine, fere supparis ætate Ausonio. Quatuor de Narcisso scripserat : de eodem Noster et quatuor (XCVI-XCIX). Alia Pentadius de tumulo Alcidis Hectorisque, de Chrysocome et de Virgilio, etc. Quæ autem Ausonii notavimus, arte poetica ingeniique acumine multo præstantiora nobis videntur.

Sequuntur epigrammata quibus Ausonius fastorum a se digestorum memoriam tradit. Qui perierunt fasti non summo poeseos damno, sed historiæ, cum nomina Latii clara nobilitarent. Illa de quibus agitur epigrammata nulla amœnitate fulgent, ac tantummodo supputationem ab Urbe condita in consulatum poetæ, lususque difficiles et inficetos de variis exprimendæ hujusce supputationis rationibus continent.

III. Ephemeris.

Ephemeris totum diei negotium continet. Nonnulli Ausonium, quia Septimii Severi Opuscula ruralia legisset, de condendo hoc carmine cogitasse existimaverunt. Constat enim Septimium Severum singula rusticationis opera vario metrorum genere descripsisse, illiusque idyllium, quod Moretum inscribitur, de primo agricolæ negotio agere. Noster vero et singulas hominis, divitiis pollentis, cujuslibet partes variis versibus narravit. Animadvertas autem velim, ut in Ephemeride orationem ad Deum Ausonius inseruit, sic Severum in opusculis ad Janum patrem precationem.

Ephemeridis vero carmen non ad nos totum pervenit.

Tantum carmen aliquod sapphicum, orationemque et egressionem, ac locum invitationis, pauca de loco ordinandi coqui, nocturnumque somnum possidemus.

Prima Ephemiridis pars ad lyricum genus spectat, atque, ut opinati sunt acutissimi juxta atque litteratissimi viri, aliis sapphicis, quæ in Ausonii operibus occurrunt, præstantius carmen videtur : facultatem enim quamdam poeticam dicendique testatur elegantiam. Acclamationem præsertim continet matutinam ad Parmenonem servum ut molli lecto membra rapiat.

Oratio hexametris conditur : hoc enim metrum, quasi majestate plenum, Dei laudibus promendis erat aptissimum. Poeta Dei potentiam Christique beneficia canit, ut vota sua fiant rata. Quibus utitur vocibus, hæ fere omnes in litterarum divinarum paginis ita continentur, ut scriptorem manifesto appareat veterum hymnis prophetarum, Davidisque psalmis, aliisque sacris canticis studuisse. Carmen totum divino quasi spiritu inflatur, sententiisque gravissimis contexitur.

Egressio, locusque invitationis aliquot verbis describuntur. *Loco* autem *ordinandi coqui* multa desunt.

Qui supersunt versus hexametri, quæ per somnia mentes subeant ordine pandunt.

Carmen totum stili diversitate amœnum ac dulce habetur; singula enim diei negotia, quæ posteritati prodita sunt, venustate et lepore quodam narrantur, minimæque partes ita acute eleganterque exprimuntur, ut inde ingenium artificiumque poetæ, qui tenuissimis rebus copiam et ornatum præstitit, haud difficulter appareant.

« Utinam hoc opus totum ad nos pervenisset, neque pluribus partibus vel carminibus, quibus totidem diversa

diei negotia diversis metris descripserat, hodie careret! » Magni referret quæ gallicus vir quarti sæculi, nobilitate ac divitiis eminens, per totam diem ageret diceretque ab hoc teste cognoscere. E paucis quæ supersunt illum saltem audimus quarta circiter ante meridiem hora e lecto surgere solitum; tum, forensi habitu induto, preces Deo fundere; post, domo exeuntem, amicis ave dicere; et, cum inclinaret ad meridiem, quinque advocatis convivis dare epulas.

IV. Parentalia.

Parentalia, prout Ausonius in una atque altera præfatione legentem monet, religiosi sunt honores quibus « carorum suorum obitus tristi affectione » commemorat. Triginta carmina, totidem parentibus dicata, continent [1].

Hoc quidem opusculum, sicut poeta fatetur ipse, « nec materia amœnum est, nec appellatione jucundum. » Utilitatem tamen haud parvam illi affert qui de Nostri domo ac gentilitate percontari cupit. Nobis autem eo magis commendabilia videntur, quod Ausonium singulari sinceraque charitate suos amplexum testantur. Plura enim animo tuo dulcem motum afferent, quia poetam domestico amabilique inflatu excitum senties: quod sane Ausonio laudi vertendum : ideo nobis propositum fuit quædam ex illis funereis querelis notare.

Inprimis, IX de Attusia Lucana Sabina uxore. E quibus verbis hujus memoriam colit, facile perspici potest Ausonium uxorem semper in deliciis habuisse.

> Nunc dolor, atque cruces, nec contrectabile fulmen,
> Conjugis ereptæ mors memoranda mihi.

1. Cf. Reinhold Dezeineris, *Corrections et remarques sur le texte de divers auteurs*. nouvelle série, Bordeaux, 1880, p. 8 sqq.

Ne igitur mireris quod jam cœlibem egit vitam.

Noster enim non modo conjux fidissimus, sed etiam paterno fuit amore insignis. Cui eruditorum litterarumve studiosorum XI carmen ignotum est, quo immaturam nepotis Pastoris mortem neniis prosequitur? Puer ille olim emissæ de tecto pondere testæ percussus occidit. Quod memorans, exclamat avus :

Illa meum petiit tegula missa caput!

O suavissimum simulque mœstissimum clamorem, imo de pectore deductum!

Amabilibus verbis Avitiani fratris, quem supra puberis ævi metas exire vetuit infesta Atropos (XIII), generique Val. Latini Euronii (XIV), Pomponiique Maximi Herculani, sororis filii, mortes et modulatus est.

V. Burdigalensium Professorum Commemoratio.

Ejusdem generis carmina sunt ea, quibus Ausonius memoriam colit supparium ætate sibi doctorum, quos nulla cognatio ipsi jungebat,

Sed fama et caræ relligio patriæ,
Et studium in libris, et sedula cura docendi.

Hi vero professores Burdigalenses, vel qui Burdigalæ nati ibidem docuerant, « vel qui peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenses peregre [1] ».

Pleraque carminum illorum in Ausonio gratum animum arctissimasque necessitudines quoque patefaciunt. Pia ea cura numerosos elegantesque versus haud semel condidit : vide, exempli gratia, I T. V. Minervio, II Latino Alcineo

1. Epist. Præf.

Alethio, V A. T. Delphidio, VI Alethio Minervo, XXVI rhetorum Manibus, etc.

Hoc autem opusculum gravissimi facimus pretii, quod ex illo multa haud parvi momenti de gallicis quarti sæculi scholis audimus. Nam Burdigalenses Tolosanosve professores, cum rhetores, tum grammaticos, celebrans, Ausonius res gymmasiorum quasi domesticas arcanasque in lucem profert. Nonnullas igitur subtiliter perspiciamus : sic perficientur quæ nuper de iisdem pauca scripsimus.

Si Ausonium credis, plurimum rhetorum dignitatem inter et grammaticorum intererat. Rhetores enim loco nobili orti erant, Attii Pateræ instar, qui stirpe Druidarum satus erat, aut Censorii Attii Agricii (IV, XIV). Eximiam famam celeriter adepti, Constantinopolim, ut Minervius et Arborius, aut Athenas, ut Agricius (I, XIV, XVI), docendi causa arcessebantur. Magna præterea obibant munera, ut Nepotianus, qui præses creatus fuit (XV), Arborius, qui Cæsarem docuit (XV), aut Exuperius, a quo « grandi mercede » informandi sunt ad rhetoricen Dalmatio geniti (XVII).

Grammatici vero sæpius humili genere nati (X, V) : Sucuro quidam, grammaticus burdigalensis, libertina progenie (X, 30); Crispus et Urbicus a patribus expositi fuerant (XXI). Nonnulli tamen, ut senex Phœbicius (X) juvenisque Alicius Glabrio (XXIV), a Druidis vel Trojanis genus ducebant. At de illis, minime fama illustratis, tenuis sermo erat (VIII, 7, X, 48 ; XIII, 3); nec ars eorum quæstuosa. His docentibus « fructus exilis » (VIII, 6); pauperes sæpe, tenuem victum habitumque colebant (X, 41).

At rhetores eloquentiæ maxime vacabant, totamque dabant curam ut in promptissima et canora facundia exerci-

tatissimi versarentur. Non igitur scholas modo, sed interdum, si res posceret, forum celebrabant (II, 17; III, 11; V, 14). Illis historiam callentibus Livii et Herodoti omnis doctrinæ ratio erat cognita, quantam Varro sexcentis voluminibus condiderat (XX, 8). Memoriæ exercendæ accuratissimam navabant operam, atque hujus facultatis vi eximia nonnulli pollebant. Ita, Minervius quæ semel audierat legeratve fixa animo tenebat; tabulæque post longum certamen, omnes qui fuerant enumerabat bolos, et singula puncta revocabat (I, 23). Item, Pateræ et Nepotiani memorem animum Ausonius laudat (IV, 17; XV, 13).

Grammatici in genera diversa distribuebantur. Alii latinas, alii græcas tradebant litteras. Inter quos, quidam prima elementorum primævos docebant (X, 32; XXI, 4), Macrini exemplo qui Ausonii ingenio utilis primum fuit (X, 12). Hi vilissimum inter grammaticos obtinebant locum, atque exigua doctrina erant (X, 46). Alii vero, altissima perfusi scientia,

Loqui faciles,.... omnia carmina docti,
Callentes mython, plasmata et historiam (XXI, 25).

Ausonius mentionem de subdoctore quodam vel facit, qui, ignoratis assiduus in libris, nihil nisi operta legebat, solisque Veterum chartis delectabatur (XXII).

Hoc autem rhetoribus grammaticisque erat commune, ut plerique, relictis cathedris e quibus minor capiebatur quæstus, in alias magis privatis commodis inservientes migrarent (X, 28).

VI. Epitaphia.

Nunc de heroum qui bello troico interfuerunt et aliquot aliorum *epitaphiis* agendum. — Prima « apud philologum quemdam reperit Ausonius, latinoque sermone convertit. » Periochis ejusdem in Homeri Iliadem et Odysseam subjungenda videntur.

Quæ carmina nihil, ut mea opinio fert, posteris notandum præbent, nisi de Didone (XXX), de Diogene Cynico (XXXI), in tumulum sedecennis matronæ (XXXII), et de Glaucia immatura morte prævento (XXXIII). Alia a Nostro e græcis Anthologicorum auctoribus ducta; alia gallici scriptores imitati (XXVIII, XXX).

Quæ omnia ea mente verisimiliter condita, ut discipulorum memoriam Ausonius per versus levaret ; constat enim metrica oratione aliquod inesse memoriæ subsidium, quod facilius percipiendis retinendisque rebus inservit.

VII. De Cæsaribus.

Idem haud sinistre de carminibus dijudicabimus quæ condidit de duodecim Cæsaribus per Suetonium Tranquillum scriptis, et de tetrastichis a Julio Cæsare usque ad tempora sua.

Opusculum de duodecim Cæsaribus, a poeta Hesperio filio dicatum, tribus carminibus constat : in primo, cujusque imperatoris facta monosticho signantur; secundum et monostichis de tempore imperii uniuscujusque contexitur ; tertium vero de mortibus eorum tractat.

Tetrasticha omnes Romæ imperatores a Julio Cæsare ad Antoninum Heliogabalum memorant. Ausonius seriem ad tempora sua perduxerat; reliqua vero desiderantur. Ex opere illo quamdam cogitationem de fastis, quæ Noster scripserat et quæ jam evanuerunt, habere licet.

VIII. Ordo nobilium urbium.

Hisce opusculis *Ordo nobilium urbium* multo notabilior succedit. In illo Ausonius, quas in describendis rebus solet ostendere, et quas in *Mosella* rursum adscribemus, dotes exhibet, nempe dicendi æquabilitatem, verborum concinnitatem, insignemque pingendi facultatem. Carmen inprimis de Burdigala patria dictionis poeticæ dulcedine numerorumque suavitate maxime illustratur.

Titulus libelli *Ordo urbium* huic aptissimus. « Revera enim, prout felicius dijudicavere acutissimi viri rerum æstimatores, ordinem Ausonius instituit urbium, atque eas non recenset solum, sed et pro dignitate cujusque collocat. » Namque, postquam primum Romæ locum tribuit, poeta quonam ordine aliæ urbes mereantur annumerari conatur definire : ideo Constantinopolis et Carthago ambæ secundum, item Antiochia et Alexandria tertium obtinent locum. Infra, Capuam ad octavum rejicit, Aquileiamque canit nonam. Ex hoc ordine, tam religiosa cura servato, multa gravioris momenti ad historicam geographicamque illius sæculi doctrinam documenta afferuntur. Nonnulla de urbibus gallicis dinumerare ad institutum nostrum propius pertinet.

Trevirorum Augustam (IV) Ausonius sextam imperii totius urbem nobilitat, quæ maximis et perveteribus civitatibus,

id est Romæ, Constantinopoli, Carthagini, Antiochiæ et Alexandriæ, modo cedit. Ab imperatoribus jam sedes accepta, eo tempore imperii vires « *alebat* » annonæ et vini copia in horreis condita et per longinqua Mosellæ commercia adducta, « *vestiebat* » lanificio et pannificio, cujus adhuc in ea urbe summa opportunitas, « *armabat* » tandem, quod ibi fabrica scutaria et ballistaria esset.

Arelas (VIII), quæ in loco decimo ponitur, adeo ampla, Ausonii ætate, extendebatur, ut poeta hanc « Gallulam Romam » vocare haud dubitaret. Nec immerito : cui enim ignotum est jam tunc Arelatem celeberrimum opportunissimumque fuisse emporium? Nonne in ea septem provinciarum, unde *Septimaniæ* nomen illi fuit impositum, conventus agebantur? Annon posterius commoditate ejus invitatus, eam sedem imperii tyrannus Constantinus tertius elegit?

Pro dignitate ad decimum quintum, sextum et septimum gradum Tolosa, Narbo ac Burdigala succedunt. Illud apud Ausonium de Tolosa attentior legi, urbem eam tot « cultam populis », ut sese in quatuor urbes effundere potuerit quin exhauriretur (XII).

Narbo, cujus nomen notissimum erat, portu et mercatu commendabilis. E versibus Ausonii onerariarum navium classes ex aliis provinciis ad Narbonensem frumentum, merces et utensilia adportare apparet (XIII).

Burdigalam vero dulcissimam ad cœlum Noster maxime effert. Indignatur quod, pietatis in patriam parum memor, præconium ejus hactenus retinuit, neque eam inter primas urbes memoravit. Silentia igitur impia laudibus amplissimis redimit. Cui si fidem adhibeas, Burdigala jam Baccho [1],

1. De Burdigalensis vini, ea ætate, gloria, confer ep. IX, 20, 21.

fluviisque, ingeniisque hominum insignis erat. Internæ ejus viæ mirum in modum distinguebantur; domus vero disponebantur ordine; plateæ ita puræ ut nihil ambulantibus obstaret. Dinumeratis itaque virtutibus, non potest Ausonius quin concludens exclamet : « Diligo Burdigalam ! » (xxv, 39).

Hoc Nostri opusculum ad seriem carminum geographicorum referri potest, quæ veteres condiderunt scriptores, verbi gratia, P. Ter. Varro Atax, Avienus, Rutilius Numatianus et Priscianus. Sed illi carmina de rebus geographicis perlonga tradiderunt, quæ ægre cum brevissimis Ausonii descriptionibus in comparationem adduci possent.

IX. Ludus septem Sapientium.

Ludus septem sapientium comœdia est, quam Ausonius, vita jam ad finem vergente, Lucaniacæ villæ in theatro agendam condiderat. Gravissimi libellus pretii, non quidem materiæ suavitate nec numerorum venere, sed historico momento. Ille enim quod esset quarto sæculo theatrum quodam modo nos docet : nam hujus generis documenta indignissime perierunt. Quamobrem nullam habemus tragœdiarum comœdiarumve,quas Ausonii amici tradiderant, atque in primis rhetor Axius Paulus [1] (Epist. x, xi). *Ludus* igitur maxime dignus, qui studio commendetur nostro, ac diligentiæ proponatur.

1. Una ex A. Pauli comœdiis *Delirus* inscribebatur, atque eidem notus *Querolus* tribuitur qui de variis Autonii carminibus, more centonnario, contextus videtur. (R. Dezeimeris, *Etudes snr le Querolus*, Bordeaux, Gounouilhou, 1881; *Leçons nouvelles et remarques sur le texte de divers auteurs*, Bordeaux, Chaumas, 1876.)

Unusquisque e septem Græciæ sapientibus in orchestram palliatus ordine prodit, sententiamque olim a se prolatam hexametris latinis explicat.

In prologo, Noster quanti de theatro inter Græcos Romanosque interesset, ac qui viri Romæ scenam condiderint, notat. Tum Ludius quidam de agendis vocibus breviter disserit. Tandem Solon primus, in scenam prodiens, trecentis versibus sententiam peragit. Quem spectans audiensque indignatur Chilo, qui iram haud illepidis verbis expromit. Chiro quidem ludi scurram agit; Bias vero acutius ac delicatius deridet auditores. Hoc modo sapiens quisque spectantes alloquitur, illorumque plausus exposcit.

Sequuntur septem sapientium sententiæ septenis versibus explicatæ ; tum, carmen aliquod de iisdem septem sapientibus e græco, cujus versus quisque sapientis cujusque nomen, patriam vocemque memorat.

Opusculi hujus moralis pars haud impura ; narrandi autem ratio aridior et prorsus jejunior nobis videtur, quam ut tædium repellat. Audientibus quidem amicis scriptor utilia sapientiæ præcepta forsan voluit exponere : arbitrabatur enim docenda, poeseos auxilio adjuta, facilius in animis infigi poss[illegible] Quanto autem celerius doctrina imbuti essent, si di[illegible]eticæ amœnitate et carminum venustate eos allexisset !

X. Idyllia.

Idyllia Ausonio gloriam vere confirmant ; in illis enim merito, quas æquales ipsi tribuerunt, virtutes miramur. Hæc carmina bucolici aut ad describendum pertinentis generis fere omnia sunt : porro Noster in materia illa

multum valebat. Quæ enim, paulo nobilior poetaque dignior, ea erat quæ mentem poeticam posset accendere.

Primum *de Pascha* volvitur, atque ab Ausonio apud Valentinianum Cæsarem conditum est. A Christi discipulo, ut supra diximus, non abhorret, versusque præbet haud incultos. In fine, poeta delicatius Cæsaribus blanditur.

Secundum *Epicedion* continet, id est carmen defuncti cujusdam honori dicatum. In illo, sicut in Parentalibus nonnullis, Noster pietate patria, necnon venustate stili et lepore, simplicique nec quæsito verborum ornatu quoque excellet. Patrem septem sapientibus parem, ægris pauperibus artem inemptam offerentem, modestiam servantem in summa fortuna, nullumque appetentem officium, nisi curiale munus provinciarumque Illyriæ, ostendit. Amplissimis iis laudibus, quæ minime a veritate videntur abesse, in memoriam notos primi Parentalium carminis versus revocat :

Ut nullum Ausonius quem sectaretur habebat,
Sic nullum, qui nunc se imitetur, habet.

Tertium *de Ausonii villula* artem exquisitam et operosius metrum patefacit. In paucis versibus poeta villulæ descriptionem conatur facere Primum autem patris, properata morte præventi, licet jam senioris, obitum desiderans, pius indignatur quod tam cito illi succedat heredioloque fruatur. Opusculum illud, multa animi amœnitate et cordis affectu conditum, legentem oblectat : sed dolendum est quod auctor, recto sanæ poeseos gustu perdito, eruditionis ostentatione et artificiis ingenii interdum exornare illud voluit. Ausonius id condens Horatii, in epistola ad Quinctium fundi formam et situm agri scribentis [1], exem-

1. Ep. xvi, l. I.

plum ante oculos videtur habuisse. Inde Ausonium constat bis centum agri jugera saltem possedisse, vineamque, prata et arva coluisse [1].

Quartum, amplissimi momenti, maxime dignum cui accuratissimam operam demus. Ad nepotem Ausonium *protrepticon de studio puerili*. Poetica facultate eximia cum conderetur, haud ægre id adipisci poterat Ausonius, ut ad sensum pulchri et doctrinæ elegantiam adolescentis animus informaretur. Fulget enim munerorum elegantia et rerum varietate, quæ vim ad præcepta animis imprimenda mirificam habent : quædam tamen, ut fatetur ipse, « fucatius concinnata quam verius, et plus coloris quam succi habere, magis venustula quam forticula videntur. »

Paterna pietate libellus ille adhuc totus inflatur. Vide quanta aut suavitate avus nepotem « mellitum » nominet, vel sollicitudine eum ut ludo deleniat seria invitet, vel vigilantia eumdem admoneat ne truculento magistri ore terreatur ! Quam fidens juvenis futura sorte recreatur ! Jam hunc, avi non immemorem, « ardua semper præmia Musarum » cupientem, et in facundia exercitatum prævidet.

Sed non tam poematis festivitate et patrii dulcedine amoris, quam utilissimis de ordine in disciplinarum studiis apud gallicas quarti sæculi scholas servato indiciis permoveor. Ausonius enim, per præcepta quæ nepoti tradit, de hoc nos erudit.

Discipulum vult græca lingua ante imbui quam latinam ediscat. Quod Quintilianus diligentissime jam commenda-

1. Cf. Demogeot (*Etudes sur Ausonne*, p. 54, 1838); R. Dezeimeris, *Corrections et remarques*, 3e série, *op. cit.*, p. 78. — Vide de *Villulæ* situ et R. Dezeimeris, (*Compte-rendu des séances de l'Académie de Bordeaux*, p. 41, 1868.)

verat, dicens : « A græco sermone puerum incipere malo, quia latinum, qui pleribus in usu est, vel nobis nolentibus, perhibet ; simul, quia disciplinis quoque græcis prius instituendus est, unde et nostræ fluxerunt. » Idem Petronius Arbiter suaserat. Auditor igitur conditorem Iliados et « amabilis orsa Menandri » primum evolvet ; tum, latinos scriptores, modulata Flacci poemata, altisonumque Maronem, et elegantem Terentium ; post, annalium scriptores. Dein ad mores, artesque bonas fandique vigorem producetur. Quem ordinem in studiis rigide tenebit ; qui enim hunc notavit, non « rudis avus » est, sed, mille docendo alumnos, quid possit disciplina expertus.

Inde facile deduci potest quam gravis ac seriosa esset institutio illa ; quanto ad stabilia, acuta, summisque digna fatis ingenia formandum valeret. Ideo ne jam miremur, quod ex illis gymnasiis orti docentes discipulique ad eos honores, quos retulimus, pervenerunt.

In posteriori idyllio, Ausonius « non præcepta quidem, sed vota precantis et gratantis avi festum ad solemne nepotis » eidem adolescenti mittit. Simili pectoris motu quem supra notavimus carmen componitur.

Nunc veniamus ad idyllium sextum, quod solerti anima excogitatum atque ornatius et politius limatum est. Inscribitur *Cupido cruxi adfixus.*

« Argumentum hujus idyllii, ut ipse auctor in præmissa epistola ad Gregorium memorat, exprimit picturam tabulæ, quæ Treviris in triclinio Æoli, sive, ut alii codices habent, Zoili, in ipso, ut credibile est, palatio Cæsarum conspiciebatur, quaque visebantur heroides mythicæ antiquitatis, infelicem amorem expertæ, hujus causa vindicandi Cupidinem in myrto, tanquam cruce, suspensum plectere.

Hæc fabula fingitur apud inferos in campis lugentibus, quos Virgilius, Æneidis VI, 440 seqq., describit, ubi animæ duro amore excruciatæ deductæque ad mortem agunt. » Ausonium itaque in hoc carmine magis quam in cæteris Maronis dictionem sententiasque fere integras ad verbum reddidisse infra notabimus. Ne igitur mireris quod amœnum idyllium scribendi suavitate singulari atque elegantioris gratia coloris illustratur. Fateri tamen non dubito materiam nimis ambitiosam, stilumque haud semel exquisitius adhiberi.

Quod carmen in nostram memoriam Modestini cujusdam brevissimum de Amore epigramma revocat, quod Cupidinis cruciati materiam in paucis versibus, venustate præstantissimis, expressit. Gallici auctores et idem haud semel in linguam verterunt.

Septimum Bissulam, captivam puellam, memorat quæ in manus Nostri discrimine Martis venerat. Quod totum fortasse nobis non traditum est : reliqua vero satis illepida atque insulsa nobis videntur. In nonnullis tamen locis (documento tibi proponatur *ad pictorem de Bissulæ imagine*) quædam mollia mehercle et florida reperimus. Etsi Ausonius hujus libelli lectorem monet « ponere supercilium, » illique suadet ut eum modo legat « ante bibere, » namque, ait, « jejunis nil scribo, » — tamen nihil tot ambagibus dignum videmus. Minime enim ibi licentias illas reperimus, quibus tam sæpe opera Ausonii fœdissime vitiantur. Nec nobis credendum est a poeta lectoris veniam posci, quod illum meretricii amoris pudet : qui nobis supersunt, versus indicant hanc Bissulam puellulam verisimiliter esse, quæ Ausonium festivitate sua leniebat. Eæ quibus semetipsum excusat reticentiæ ne illum pro-

caciori licentia imbutum aliis exhibeant; nam, in *Gryphi* præfatione, (hoc vero poema nulla quidem spurcitia dehonestatur), Symmachum similibus verbis monet [1].

Octavum et nonum Ausonii, consulis designati, pridie kalendas januarii fascibus sumptis, et ejusdem, consulis creati, kalendis iisdem, precationes continet. Noster, magistratum obiens, quæ omnia fauste eventura optat, nempe anni ubertatem, verem tepidum, frigidamque æstatem, pacisque otia, describit; tum, Cæsaris, qui fasces, posteriori anno, et accipiet, in præconio multus, votis annum hujus consulatus urget. Neutrum opusculum, poetico licet quodam artificio variaque compositum eruditione, legentibus oblectamenta ulla affert. Inflatum poetam a Deo Christianorum, quem tamen, uti supra confirmavimus, colebat, quam ab omnibus mythicis numinibus, atque calamitatibus imperio romano undique imminentibus quam canoris argutiis nugisve permotum, libentius videas.

Nunc de decimo, omnium celeberrimo, diligentius agendum. Hoc est illustre *de Mosella* poema, quod Ausonii nomen nepotibus jure commendavit. Fluvii hujus, « Ausonius laudes hoc Idyllio celebrandas suscepit, haud dubie ea causa permotus, quod Mosella Augustam Treverorum aluit, quæ tum sedes imperatorum, Valentiniano et Gratiano inprimis dilecta, erat, et Ausonius eo anno, quo hoc poema scripsit, ab expeditione Gratiani adversus Germanos et Suevos reversus, ad Treveros et palatium Cæsarum, quo illi jam, dimisso in hiberna exercitu, triumphantium more recepti advenerant, contendebat per Navam et Mosellam amnes. »

Quod iter facit per Dumnissum, Tabernasque et Nivo-

1. Cf. R. Dezeimeris, *Leçons nouvelles et remarques*, 1876, *op. cit.*

magum præfatur; tum, Mosellæ conspectæ laudes a virentis silentisque fluminis cursu et limpidarum lapsu aquarum incipit. Jam varias squamigeri gregis species, quæ amne fluitant, apricosque colles quos alma vindemia vestit, Naïadasque et agrestes Satyros agentes choros, et cymbas varios ineuntes flexus, totiusque orbis terrarum commercia gerentes; post, per retia, arundines et hamos piscium capturam; dein, villas, hortos, prætoria, balneaque; flumina denique in Mosellam decurrentia numerare. Tum, poeta imperatorum civitatem, ædium præstantiam, horrea quæ legiones alunt; fulgentes patres, populumque Martis studiosum, et maxime fandi potentes jurisque scientia consultissimos viros prædicat. « Mosella Rheni in undis sacrata, » Rhenum quoque, qui imperii « verus habetur limes » memorat, ac se olim, cum Burdigalæ otiosos carpet dies, latius Mosellam, urbes quas subterlabitur, agrosque Belgarum fecundos et facta memoranda laudibus prosecuturum promittit. Concludens nullum fere Galliæ fluvium Mosellæ anteponendum demonstrat, supremamque illi mittit salutem.

Hoc est Ausonii carmen, quod, Trevirorum urbis, quam novam habet Romam, jucunditate inflatus, vere suavi gratia versibus indutis condidit. Poema illud, incitatum atque elegans, multos locos, admiratione haud indignos, præbet, inter quos Nympharum lusus, piscatusque descriptionem, atque Hesperum seras proferentem umbras, et nautarum certamina, cum Cumanis præliis composita, referre et de nonnullis pauca dicere nobis concedas.

Cum Nymphas per freta insultantes depingit, Ausonius non solum ingenii amœnitate et spectaculi jucunditate, verum etiam quadam dicendi moderatione ac brevitate

oblectat. Jure enim in hac materia non multus fuit; cum ipse quæ narrat non spectata ulli, nec cognita visu, profiteatur, necesse erat ut hæc incerta quasi ac circumscripta pictura reverenter tegerentur.

Quod non longius evagatus Ausonius eo magis est laudandus, quo sæpius vitium prolixæ descriptionis, ut in piscatu exprimendo, non effugit. Ibidem enim piscem hamo captum, vitamque in auris anhelatis consumentem, nulla tristis visus parte omissa, subtiliter ostendit; et minima licet totius actionis et singula acute eleganterque exprimantur, tamen poetam in fœdissima tenuissimaque descendere agre ferimus.

Hanc eamdem dicendi redundantiam in multis aliis locis exprobrare Ausonio possemus; illud autem vitium generi, cujus est *Mosella*, fere inhærere meminerimus.

De quo tractamus carmen non modo elegantissima simplicitate, ab omnibus longe arcessitis ornamentis aliena, etnativa pulchritudine, verum etiam varia eruditione placet; namque in illo haud pauca de veterum historia et geographia indicia reperimus. Inter eruditissimos auctores de versibus, quibus Noster Gratianum cum Sarmatis bella gerentem ac Constàntini castra apud Nivomagnum posita ostendit, iterque a se, Trevirorum Augustam per Navam et Mosellam redeunte, susceptum indicat, valde disputatum fuit. Item, quæ de fluminibus in Mosellam devenientibus, et de incolarum moribus aguntur, verbi gratia, de nautis qui lintrium mala collo trahunt, et de viatoribus qui probra seris cultoribus canunt, haud parvo momento legimus.

Peritissimus quisque locorum Ausonium fluvii ripas totamque regionem exactissime depinxisse non semel af-

firmavit; piscium vero descriptionem ita veram judicarunt, ut docti viri, rerum naturæ inquisitores, ab Ausonio multa ad quædam explicanda vel augenda sumere non dubitaverint. Nonnulli autem pisces non eadem diligentia recenseri, atque genera quædam Mosellæ innatantia, dum nunquam ejus secuerint aquas, a poeta ostendi existimant. Illud enim hisce Symmachi verbis confirmarunt: « Unde illa amnicorum piscium examina reperisti, quam nominibus varia, tam coloribus, ut magnitudine distantia, sic sapore ?... Atqui in tuis mensis sæpe versatus, nunquam hoc genus piscium deprehendi. Quando hi pisces in libro tibi nati sunt, qui in ferculis non fuerunt [1]? »

Vixdum *Mosella* ad lucem ab auctore prodiit quum « per manus sinusque multorum » volitavit. Omnium plausibus acceptus, a Symmacho ipso libris Maronis adjunctus fuit. Quamvis amplissimis indignum laudibus illis, tamen carmen istud, uti e præcedentibus dijudicare potuimus, vetustum, et molli ac liquida dictione præstans merito videtur.

Ausonii *Mosellam*, uno atque altero circiter posterius sæculo, Venantius Honorius Clementianus Fortunatus nonnullis carminibus imitatus est, inter quæ duo magis notabilia habentur : de hisce pauca disserere in mentem nostram venit. In priori, ad Nicetium, Treverensem episcopum, de castello super Mosellam misso, poeta quædam de regione fluvio circumjecta, et de flumine ipso breviter memorat. Eum, poema illud condentem, Nostri *Mosellam* ante oculos habuisse, quæ de innumeris fluvii piscibus et de uberibus agris, viridibusque herbis et tradit, haud dubie testantur. In posteriori, multo latius effuso, Fortunatus

1. Epist. I, 14.

navigium per Mosellam, a Metticis mœniis ad Antonnacensis castelli arces, depingit. Amœnos ruris prospectus, villas, colles vinetis consitos, atque abruptos montes, prataque virentia, rivosque in Mosellam decurrentes describens, vindemiatoris uvas defert coloratas, et Trevirorum urbis « quoque nobilium nobilis æque capitis, » pisciumque per retia captorum haud est immemor.

Poema illud quadam elocutionis poeticæ suavitate atque ingenii præstantia mirum in modum, ut his temporibus, placet; quantum vero ab Ausonii exquisita numerorum et doctrinæ elegantia abest! Dum Burdigalensis poeta multa uberius atque concinnius de piscatu disserit, francorum regum aulicus pauca duriuscula de eodem agit. Ausonius, fluminis jucunditate sola permotus, laudes ejus modo prædicat, suique oblitus, ipsi imminentia pericula omittit. Fortunatus vero magis quibus objicitur discriminibus quam locorum forma fluviique jucunditate commotus videtur : haud semel enim, Mosellæ cum littus passim constrictum saxaque latentia paventer conspicit, ruris delicias laudandas et describendas confestim deserit, ut cauta rate per undas pergat. Quam illepide et insulse timet « ne veluti piscem eum quoque nassa levet! » Infra, regem, qui piscationi favens adfuit, deprehensos pisces numerantem, prædaque exultantem, ut se « post foveat ipse cibis », ostendit. Jam poeta non commiserat ut inter regnorum quæ transibat amœna « dapium delicias » omitteret. Nunquam Ausonius in tam stolide et inficete dicta descendisset.

Nunc quæ de Mosellæ piscibus enumerandis Noster edidit cum Halieuticorum fragmento, quod Ovidii temere dicitur, et forsan ex Halieuticis Nemesiani servatum, paucis

verbis quoque conferamus. In hoc carmine, quod de omni piscatione verisimiliter tractabatur, auctor naturam omnibus animantibus fugam mortis et horrorem ingenerasse affirmat; tum quodque piscium genus ad industriam vel astutiam, ut hamos retiaque vitet, confugere narrat. Paulum vero digrediens ad animantes terrestres, qui eumdem in modum aut viribus, aut fuga, sibi semper consulunt, de piscatione disserit, pisciumque classes enumerat.

Quæ omnia non arte et solertia carent, sed procul a disertissima et festivissima *Mosellæ* piscium recensione, atque ab eleganti aliorum ad piscatum pertinentium descriptione absunt. Ex Hallieuticorum enim, quæ notavimus, enumeratione exili et jejuna tædium breviter subōritur; Ausonii vero descriptione, quam etsi parum pressam et redundantem quidam æstimarunt, haud immerito recreamur.

Concludamus igitur Nostri *Mosellam*, virtutibus haud dubiis illustratum, sic nepotum, ut æqualium favorem mereri. Nec miremur si prædictis Symmachi vocibus, (omissis Petro Possino, Erasmo (in Ciceroniano), Elia Vineto, Rittershusio, Hanckio), omnino favet eruditissimus et latini sermonis peritissimus Scaliger : « Mosellam vero adeo excoluit, ut ea sola magni poetæ nomen sibi comparare potuerit. Est enim in ea multa ars tum dispositionis, tum elocutionis. Multa lumina figurarum, multum ingenii deprehendas ». (Lib. VI, poetices, cap. 5).

Undecimum *Griphus ternarii numeri*. Griphos vel ænigmata vocant, carmina obscuris quæstionibus implicitisque sententiis contexta. Paucos optimæ aureæque ætatis reperias auctores, qui hisce argutiis excogitandis se dederint; plures autem inferioris ævi hæc captiosa tortuosaque poe-

mata accuratius tradiderunt; quod est, ut infra notabimus, inclinatæ ac labantis latinitatis signum.

Ausonius se ternarii numeri griphum in expeditione, « quod tempus, ut scis, licentiæ militaris est, » et propter convivarum, qui mensæ ejus consederant, invitationem ita edidisse narrat, ut in nonaginta versibus, cœptis inter prandendum, et ante cœnæ tempus absolutis, varias exprimendi ternarii numeri rationes indicaret. Carmen etsi illud ab ingenii acumine, varietate eruditioneque non alienum videtur, nos tamen fatemur inanium nugarum istarum illecebris allici non posse, quæ magnam quidem vim et facilitatem ostendant, non vero summi poetæ mentem excitare valeant. Quod Noster ipse adeo sensit, ut a legente veniam sibi exposcendam curaverit, cum se opusculum « dum bibit, et paulo antequam biberet » condidisse, « injuriumque esse de poeta male sobrio lectorem abstemium judicare » profiteatur.

Cum Ausonii gripho Symposii ænigmata, non quidem invenusta, quæ, post epulas lætas, post pocula dulcia mensæ, et prodita quoque fuerunt, et singula ternis versibus comprehensa, componere possis.

Sequitur *Technopægnion*, adhuc lusus vere puerilis et futiles fallaciæ, quibus Ausonii musa, jam senescens ac *Mosella* aliisque majoribus conditis quasi exhausta, gaudebat, quantumcumque latinis litteris ex his afferretur detrimentum oblita.

Poema in duas partes dividitur; quarum in altera, quisque versus, monosyllaba voce quadam cœptus, in aliam monosyllabam desinit, qua versus sequens incipit; atque in altera, versus monosyllaba quoque finiuntur; hæc autem vox in versu posteriori haud iterum ponitur; atque

in illa, de membris, de inconnexis, de diis, de cibis, de historicis, de vere primo, per interrogationem et responsionem, de litteris monosyllabis græcis ac latinis, agitur. Opusculum carmine quodam quod *Grammaticomastix* inscribitur, terminatur.

Ausonius ex hisce nugis, in quibus sententiarum lepore ac festivitate non asperitatem numerorum condire potuit, sibi non tenuem gloriam esse afferendam haud semel in libelli dicationibus speravit; sibi vero glorianti nimiam fidem jure non adhibuit, cum ipse exclamet: « O mora! et o pœna! », ac rursus: « Ad summam, non est quod mireris; sed, paucis litteris additis, est cujus miserearis! » Cum hæc insulsa et nullius ingenii ipse judicaret, ac per verborum tormenta liberum poetæ spiritum fundi non posse, huc nôn debuisset descendere.

Huic ludicrorum carminum generi Publilius Optatianus Porphyrius, Constantini ævi poeta, jam se dederat, qui singulari et miserrima patientia versus in aræ aut syringis formam condiderat. Sic in illius, ut in Ausoniani nugis, nihil recti ingenii spiritusque poetici inest.

Tredecimum *Cento nuptialis*. « Centones vocari solent, ait Isidorus, qui de carminibus Homeri vel Virgilii ad propria opera, more centonnario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciuntur corpus, ad facultatem cujusque materiæ. » Solius memoriæ negotium sparsa colligere, et integrare lacerta. Hoc igitur e Virgilianis centonibus, « sine ingenii acumine, et moræ maturitate », Ausonius conflavit. Utinam frivolum et nullius pretii opusculum satis duxisset, nec materiæ obscenitate adeo pudorem offendisset, ut, illud carmen scribens, semetipsum extra omnem culpam ponere non semel opportunum judicarit, ac sæpius

veniam a legentibus petiverit! Frustra vero Noster se operi isti, Valentiniano jubente, qui idem ediderat, incubuisse, victoriamque obtinuisse nos admonet: quæ enim omnes excusationes opprobrium delere non possunt.

Fateri tamen non dubitamus Ausonium hoc artificii genus felicius tentasse, illumque Virgilianis operibus, ut id celeriter conderet, maxime imbuendum fuisse. Ante ipsius tempora, Hosidius Geta quidam Medeam tragœdiam quoque e centonibus virgilianis conflaverat.

Veniamus vero ad jucundissimum *de Rosis* carmen. Hic libellus, necno ii qui sequuntur, nunc P. Maronis, nunc Nostri opus fuere judicati. Sed, nostra ætate, Ausonio soli tribuuntur. Res enim metrica potius Ausonii tempori quam alteri convenit.

Rosarum loca quædam suavissima lepidissimaque jure habentur. Poeta, per hortum mane errans, roseta adspicit, floresque eorum mirans, Aurorane rosis rapiat ruborem, an det, dubitat. Sed, dum loquitur, rosæ consenescunt, propter quod puellam alloquens auctor exclamat:

Collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Opus illud, excellenti ingenio poetarum dignum, sententiarum lepore, numerorum venustate, aliisque stili virtutibus haud dubie fulget; nec tamen florido dicendi genere ita commendatur, quin gallicus quidam celeber poeta, imitando Ausonium, antecesserit.

Quæ sequuntur idyllia de ambiguitate eligendæ vitæ, de viro bono, ac de aliis pythagoricæ doctrinæ partibus conduntur. Ultima, de ætatibus animalium carmen, et monosticha de ærumnis Herculis, Musarumque inventa et

munera continent. Quæ omnia, jejunis aridisque versibus, sine venere et arte, scribuntur.

XI. Eclogarium.

Eclogarium variis, perperam Ausonio fortasse tributis, carminibus constat, quæ de anni fastis, siderumque annua lustratione ita illepide et insulse tractant, ut tædium ex invenusta mensium annique temporum enumeratione haud ægre suboriatur. Inter quæ tamen de feriis romanis poema notandum, quo paganorum adhuc quarto sæculo servati ritus forsan indicantur.

XII. Epistolæ.

Ausonii epistolæ quinque et viginti numerantur.

Duabus primis, Ausonius quos haud semel libenter notavimus domesticæ charitatis sensus, rursus tanta vi exprimit, ut nunquam majori atque elatiori spiritu inflatus esse nobis videatur. In una enim, ad patrem de suscepto filio scripta, eximiam qua perfunditur dilectionem exibet; in altera, cum ipse, iis quibus, Gratiano occiso, Maximus imperium usurpaverat, tyrannicis temporibus, Treveris remansisset, filius vero Romam in Symmachum quæsiturus esset profectus, Hesperium quod solus relictus fuit questibus laccessit. Hæc præsertim epistola Nostri in suos amorem patefacit, cum Ausonius profugam, quam filius conscenderat, navem oculis persequens, ac dolore ita confectus, ut pubentes salicum, Mosellæ apud rivos, deverberet frondes, gramineosque frangat toros, ostenditur. Quem tunc fudit

de imo pectore clamorem : « Quis fuit ille dies? », is amplissimis laudibus sæpe merito illustratus.

Tertia Ausonius eidem Hesperio bis denos turdos, anatibus junctis, mittit quos retibus dolosis cepit. Ex hoc ipse oritur, ut paucis quidem versibus, elegantioribus vero et argutis, harum avium formam recenseat. Cum epistola illa Martialis epigramma, quo poeta dolet quod turdos ad amicum mittere non possit, illique agrestes modo et ignobiles volucres offert, atque aliud, quo Paulinus Nolanus Gestidium aliquot ficedulis donat, carmen velim compares. Ausonius, in epistolio, Martialis Paulinique opuscula avium formæ et capturæ describendarum amœnitate superasse mihi videtur, quamvis illa nec insulso nec inepto ingenio condita fuerunt. Aucupii vero genus, ab Ausonio memoratum, cum Nemesiani duobus fragmentis *de Aucupio* quæ supersunt conferre tibi licet : Ausonius palmam rusus retulit.

Quatuor sequentes epistolæ ad Theonem quemdam ab Ausonio scriptæ : quibus eo majori diligentia debemus studere, quod ex illis cognoscimus qua familiaritate Noster amicis uteretur, atque audimus res haud parvi pretii, cum de quarti moribus sæculi, tum de ipso scriptore.

Quis esset Theo ægre dijudicatur, etsi de illo Ausonius multus fuit. Quantum vero meditatione et conjectura assequor, iste vir erat quidam rusticus, non quidem, ut nonnulli perperam æstimarunt, rhetor, qui vitam inter venationis piscatusque otia et mercatum Domnotoni agebat, atque interdum, Musis cultis, condebat versus : uno enim verbo, « cultor arenarum, vates » erat. Illi Ausonius parum honestos mores tribuit, cum hunc nobis fœneratorem, pecuniamque tamen ab amicis sumentem mutuam,

neque reddentem illis, pauperem usque, et pergulam arundinibus tectam fumoque lacrymosam, cujus tota supellex jacula, fundæ et hami, incolentem, depingit. Neque magis ingenii acumine Theo præluxisse videtur, ut e sequentibus haud difficulter apparebit.

Ausonius tamen cum illo adeo arcta amicitiæ consuetudine conjungebatur, ut ei vitio haud semel verteret quod domum ipsius fugitaret, et nonaginta, amico derelicto, dies consumpsisset, ac quos illi mutuos dederat bis septem philippos perdere totidemque alios dare mallet quam longius dilectissimo carere. Nec autem miror Theonem Ausonii efflagitationes parvi duxisse, si Noster eadem jocosa domi, quæ in epistolis, in eum dicta jactaret. Theonem enim insulse ita sæpius irridet, ut amicum cum amico hunc in modum egisse vix credas.

Nam paupertatem vitiaque turpia illi immisericors postquam exprobravit, hunc « plebeiam pulpam » aut similem Adonis vocat, et quæ ignobilia, scilicet mala aurea, ostreaque et musculos, Theo ad ipsum miserat munera, superbus contemnit. In poeticum vero illius ingenium maxime jocatur : Theonem quod Clementini versus cujusdam usurpat accusans, eum propter carmina risu omnium proscindi dicit. Imo, scribentis epistolam deprehendere, nisi ipsi adsit interpres, Theo non poterit, quia « alto mens obesa viscere », et « poeta falsus, bonorum mala carminum taberna. »

Inde Ausonium non eadem cum amicis pietate et reverentia, quacum parentibus, semper usum fuisse manifesto apparet; quin etiam, illi hominem ipsi familiarem tam amaris afficienti opprobriis, ac supra illum propter majores divitias, vel honores, vel præstantiorem ingenii facultatem tam magnifice exultanti, veniam dare vix possumus.

Epistolæ quatuor illæ, quadam licet dicendi venustate commendatæ, tamen nimis exquisita loca legenti attento præbent. Verborum ornamenta, longe arcessita, sic adhibet, ut, litteras, chartamque et calamum causa designandi, concinnatas translationes « Cadmi nigellas filias, Melonis albam filiam Cnidiosque nodos », semel atque iterum prodat. Cum dies supputat, quas, Theone non viso, egit, variis nonagesimi numeri, griphi instar ternarii, exprimendi rationibus incumbit; item, triginta, ipsi a Theone missa, ostrea variis modis dinumerat; denique, de aureis malis, sed de plumbeis carminibus, rursum a Theone ipsi oblatis, verba cavillatur. Hæc vero artificiosa versuum tormenta, nugis quæsita ineptis, a sanæ poeseos existimatoribus contempta sunt.

Ante materiam illam quam derelinquamus, adhuc observemus quæ de furibus permultis, tota regione vagantibus, qui, postrema timentes, prædam cum persequentibus ipsi dividebant, Ausonius tradit ; hoc autem cum Gratiani lege, qua « latrones quisque sciens susceperit, vel offerre judiciis supersederit, supplicio corporali aut dispendio facultatum, pro qualitate personæ, ex judicis æstimatione sit plectendus, imo flammis ultricibus concremandus, » aptissime congruit.

In iisdem epistolis Ausonium legimus rusticantem ad littus maris subjuncta mulis petorita mittere, quo invitati amici inde ad villam commodius deveherentur.

Septem epistolæ ad rhetorem Paulum Axium scribuntur, nec minus ad Ausonii vitam, cum Burdigalam, aula relicta, se recepisset, penitus cognoscendam momentum quam præcedentes nobis afferunt. Quamobrem de illis nunc dispicere mihi animus est.

Paulus Axius Burdigalæ vel Santonibus rhetoricen docebat; ex Ausonii operibus hunc audimus, eruditione quadam et facultate poetica præditum, atque in omni poematum genere versatum, « dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos, socci et cothurni musicam » edidisse. Utinam omnia illa ad nos integra pervenissent, quæ cum Ausonii operibus possent conferri ! Nihil vero e tot Pauli carminibus superfuit, nisi unius comœdiæ nomen, *Delirus*. Quamvis ex arte rhetorica quæstum haud tenuem sumere soliti essent, tamen Paulus divitiis abundasse non videtur; uti ex ultimis epistolæ duodecimæ, utraque lingua contextis, versibus haud dubie ostenditur, quibus Paulo, in cathedris ingratis nec fructuosis artem tradenti, levis arca sumptum in dies minorem suppeditasse, iterumque, prædium ejus, Crebennum, longa ætate venale, non habuisse emptorem dicitur.

Noster Paulo, cui intimas tradebat cogitationes, adeo utebatur familiariter, ut eum omnibus fere epistolis, versus causa condendi una et recitandi, ad se arcesseret. Rhetor amici seria et jocos norat tractare ; secum igitur « vel terjuga millia epodon, vel salsas lites, » carpentis imposita, ferebat, ut hospitis illiusque convivarum oblectaret otia. Nec lepore quodam et ingenii amœnitate fortasse carebant carmina Pauli illa, cum Noster, rhetoris operibus perlectis, sua proferre dubitaret, et conscio sibi pudore, « dissonum, quem colonomon » appellabat, celatum reprimeret.

Nec vero Ausonius ejusque amici tempus in scribendis modo vel recitandis carminibus, sed etiam in dapium vinique deliciis consumebant. Omnes lautioribus mensis adhibebantur, atque erudito palato suavissimum ostreorum saporem, Cererisque fructus jucundos et liberales epulas lau-

dabant, vinaque potabant lauta, quæ Ausonius « Santonos vehenda bijugo plaustro » curabat, ut omnes ex illis « solatia blanda » requirerent.

Extrema decimæ quartæ epistolæ verba, græce dicta, attenti legimus, quibus Noster quæ esset ipsius rusticantis bibliotheca nos docet. Paulo, quo citius veniat leviusque vehatur, suadet ne secum historiam, mimos, carminaque afferat, apud amicum inter permulta inventurus « varia omnium metrorum genera, grammaticorum prestigias, octo Thucydidis, novemque Herodoti libros, rhetorumque illustres conciones, ac disputationes philosophorum ; » quod nobis erat diligenter notandum.

Ut in scriptis ad Theonem epistolis, sic in missis ad Paulum, Ausonius varias accedendi ad villas suas rationes indicat, nempe per mulas, petorita rapientes, vel per cisium trijugum vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum : amici vero cisium aut pigrum veredum, petorito relicto, libentius conscendant.

Quæ omnes epistolæ solita Nostri ingenii facultate, non vero dicendi varietate, cum fere omnes volvantur de eadem materia, commendantur. Duodecima colonomon, hoc est (at saltem illud quibusdam placuit) carmen græcis latinisque vocibus cæsis compositum, de quo prius Ausonius verba fecit [1], forsan continet. Haud quidem illepidum est totum poema ; tamen, ut ait ipse, interdum in verbis rude, et in versibus concinnationis expers ; ludicri vero carminis speciem adhuc præbet. In decima tertia, duo græci versus tantum leguntur. Decima vero sententiarum venustate dicendique elegantia omnium præstantissima, qua Ausonius musam ruris deli-

1. Epist. XI. — Vide tamen de vocis *colonomon* sensu R. Dezeimeris, *Etudes sur le Querolus*, 1881 ; *Leçons nouvelles*, 1876.

ciis laudandis urbisque impedimentis irridendis totam dicat, atque Q. Horatii de eadem materia versus [1] revocat in memoriam. Flaccus vero longius simulque jucundius quibus Romæ afficitur curas depingit; Nostri tamen versus incitati, atque ab amœnissima ævi Augusti simplicitate minime alieni; imo, nonnullas Flacci voces, quales « lutulenta sus, » et « rabidiosa canis » ferme ad verbum exprimunt. Nona denique, qua Ausonius, juxta Oppianum, qui in Halieuticis et locum ostreis fecit, nobilissima ostreorum genera recenset, a veteribus recentioribusque gulæ magistris, propter exactissimam descriptionem, laudatur.

Posteriores quinque epistolæ minori in pretio legenti ponuntur. E decima quinta tamen, haud invenusta quidem, scholam Iculismæ tunc florere cognoscimus; tum, decima sexta, Ausonius libros ad Probi, præfecti prætorii, liberorum institutionem mittit, illique permultos, ad exemplar epigrammatis cujusdam Martialis conditos, dicat versus; dein altera, quæ tota soluta oratione componitur, Symmachum, amplissimis oneratum laudibus, singularibus « parentis et amici » vocibus nominat; tandem, decima octava, quæ lusus ingenii insulsos de variis sexti numeri exprimendi modis continet, ad Ursulum grammaticum Trevirorum mittitur, cui strenas kalendis januariis, ab imperatore non datas, reddendas curaverat.

Ultimæ Ausonii epistolæ Pontio Paulino, qui, ejus præstantissimus, ut supra dixi, discipulus, famam ingenii insignem celeriter obtinuerat, atque ad summa reipublicæ munera evectus, non a longo tempore, « sacra Quirini purpura » erat velatus, mittuntur. Quem Noster tanta circumdabat amicitia, ut illum « melle dulciorem, gratiæ venustate fes-

1. Epist. II, l. II. v. 67.

tiviorem, ab omnibus patrio stringendum complexu, » et non minus carum quam Hesperum filium haberet.

Hæc autem duabus aliis litteris continentur : Paulinus qui, poetica facundia inflatus, condendis versibus « perite et concinne, modulate et dulciter, » vacabat, tres Suetonii libros, quos ille de regibus dedit, in epitome coegerat, idemque poema Ausonio tradiderat, quo exquisitius universa limaret, ac summam attingeret expolitionem. Quod carmen jucundissimum, et « juxta romanorum accentuum naturam » enuntiatum, a Nostro haud paucis notatur verbis.

Duabus aliis, Ausonius amico gratias agit quod ipsi oleum misit, munerique iterato Barcinonensis muriæ addidit condimentum ; tum, a Paulino beneficium exposcit singulare. Lucaniacus enim, Ausonii villa, tanta annonæ inopia laborabat, ut procurator Philon frumentariæ rei causa prospiciendæ Nostro fuisset mittendus. Hic merces, per agros diversos coemptas, apud Hebromagum, (quod autem Paulini erat prædium), concesso ab ejus hominibus hospitio, condiderat; « immature vero periclitabatur expelli : » quod formidans, Ausonius amicum facete et perjucunde rogat, ut et mora habitandi ad commodum suum Philon utatur, et nauso, aliave quavis nave usque ad oppidum præbita, frugis aliquantulum Lucaniacum advehere possit. Philon vero, canus, comosus, hispidus, trux, attubus, Terentianus Phormio, horrens capillis, jocose et scurriliter describitur. Quot villici, et nostra ætate, hæc verba :

> ... Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
> Se ditat et me pauperat !

ad se pertinere verius existiment !

Tres vero novissimæ ad Paulinum scriptæ epistolæ haud

immerito celeberrimæ habentur, ac poetici inter Ausonium ejusque discipulum certaminis causa fuere : quare de illis latiorem faciendi mentionem mihi dabis licentiam.

Paulinus, muneribus functus, rem familiarem gerebat, copiisque omnibus abundabat, cum repente, anno circiter CCCXC, amici ejus hunc se in Hispaniam cum conjuge Therasia contulisse, ibique inopem ac pœnitentem vitam, procul ab hominibus, agere audierunt. Mox autem, omnibus bonis venditis atque inter pauperes divisis, Hispaniaque relicta, Paulinus et Therasia Nolam, in Campaniam, ad sepulchrum sancti Felicis martyris se receperunt, ibique consedere.

Qua nova vitæ ratione Paulinus omnium movit mirationem, præsertim vero Ausonii, olim magistri, qui, ut supra diximus, illo semper familiarissime usus fuerat, eumque antiquissima foverat dilectione. Quamobrem Ausonius, cum, nomine fere tantum Christi discipulus, sublimem illam religionis philosophiam, qua minimi fiunt omnia terræ gaudia, percipiendam non curaret, Paulinum a consilio statuit deterrere. Ad quod perficiendum huic quatuor epistolas, poetico atque amantissimo flamine plenas, misit, quæ inter pulcherrima ipsius carmina numerandæ sunt.

In prima, querelas ob Paulinum profectum gravissimas ex imo pectore fundit : consorte laborum destituitur! Veteri tamen amicitia ambo arctissime jungebantur! Nimirum grande aliquod verbum dixit, ut tale ipsi accideret! Si saltem spatium vicinis mœnibus esset, illum festinans complecteretur, sed trans Alpes et marmoream Pyrenen est domus Paulini! Jam Ausonio, procul ab amico, nil gratum :

Ver pluvium sine flore fugit; canis æstifer ardet;
Nulla autumnales variat Pomona sapores,
Effusaque hiemem constristat Aquarius unda.

Pontius ergo dulcissimus culpam agnoscat! ad veterem magistrum accurrat et adproperet!

Et quando iste meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paulinus adest!

Quanta lætitia adspergetur!

His tam suavibus tantoque amore perfusis litteris Pontius minime fecit responsum. Iterum Ausonius insistit, ac cum timeat ne uxor Pontii, « Tanaquil, » ipsum graviori quæsitoris terreat censura amicique epistolis fraudet, innumeras celandarum litterarum formas docet. Ne vero Paulinus dedignetur « parentem adfari verbis. »

Nullam autem a discipulo salutem rursus accipiens, Ausonius tertias, quæ non nobis servatæ fuerunt, tum quartas litteras ei misit, quæ præsertim jucunditate valent. Tacet Paulinus: quid ita! Nonne hostis, saxa et nemus respondent homini? Ausonius tamen non longos versus postulat, solum salve atque vale. Ah! calamitatibus gravissimis afficiatur, si quis impius tam longa silentia suasit! Vos autem,

... Hanc vocem, Bœotia numina, Musæ,
Accipite, et Latiis vatem revocate camœnis.

Carmina illa blandissima suavissimaque non videantur? querelæ illæ ob amicum dulcissimum effusæ qui procul fugit, non cor moveant? hæ poeticæ voces, quæ tam jucunde in tanta, undique circumfusa, barbarie promuntur, omnium admirationem non excitent?

Responsum tamen Paulini adhuc mollius atque amœnius,

nam si Ausonii versus magis canori et numerosi habentur, ac rhetor vetus solerti arte ingeniique dexteritate discipulum superat, quanto excellentius Paulini carmen! Quid ita ? Quia, prout mox explicabimus, Paulinus ex alio fonte, scilicet e nobiliori et fortiori, poeticum ardorem hauriebat.

Ne amicus magisterque, ait, musas ad Paulinum revocandum jam invocet. Flamine alio incitetur potentiori! mentem agat Deus, Christus! Tum divino illo quasi excitatus spiritu, poeta majora canit, et plagas illuminat quas Ausonii musa ethnica non modo non viderat, sed etiam, ut sic loquar, non suspicabatur. Audivisti quomodo Noster, fabula sola inflatus, studium amicitiæ suæ æternum sit professus; auribus nunc percipe Paulinum pollicentem se nunquam ex imo ipsius pectore magistri vultum esse depositurum, illumque, cum, solutus corporali carcere, terra provolaverit, animo quoque gesturum! Mens quippe, « ut mori, sic oblivisci, non capit, ac perennis vivet et memor! »

Quanti intersunt duo genera! Quanto Paulini genus excelsius et nobilius! Via nova poesi paratur, et senescentes labuntur veteres atque obsoletæ vatum fabulæ.

XIII. Gratiarum actio pro consulatu.

Gratiarum actio Trevirorum Augustæ, consulatus anno ad finem vergente, ab Ausonio apud Gratianum ipsum habita est, qui ad solemnitatem honoris condendi, beneficiis ne deesset officium, cum interesse primordiis dignitatis per loca intervallorum non potuisset, e Thracia occurrerat. Ausonius in illa oratione imperatorem tot tantisque laudibus afficit, ut eum ad id humilis deformisque obsequii des-

cendentem ægre feras. Quem si audias, Gratianus, cum ad magistrum epistolam misisset, veteres Homericos oratores, Menelaum, Ulyssem et Nestorem, non modo sententiarum præstantia ac dicendi subtilitate aut elegantia, verum etiam regia dignatione, prudentia sapientiaque superat. Agens vero semetipsum cum aliis Augustorum præceptoribus confert, et si quidem se in fastigium Senecæ, Quintilianive, aut Frontonis attolli dubitet, tamen ipsum Constantini temporum collegis anteponendum fatetur; quin etiam, quod omnes dignitatis fulgore vincit superbus gloriatur. Hæc paucissima, inter permulta, sufficiant exempla, ut assentatorias voces animique insolentiam illam, quæ labantis atque inclinatæ ætatis haud dubium tibi præbent signum, indignans despicias.

Cum materiæ inopia et tumore verborum concertatio ita respondet, ut gratiarum actio, interdum elegans et venusta, sæpius vero studiose arcessita et redundans, in ostentationem composita videatur. Nunc inanem vocum sonitum sententiarumque ambitum in longis periodis præcipue licet perscrutari, quæ verborum e grandiloquo ore effusorum copia redundant, et plerumque tantum in syllabarum parilitate sibi respondentium consistunt. Hæc pauca notare mihi liceat: «... sed usquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, et cum voce patui, et cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu et tempore; » et, « spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris : quæque animi nostri celeritas Divum instar affectat, beneficiis præeuntibus anteceditur : præstare tibi est, quam nobis optare velocius. » Dicas alioquin Ausonium ipsum turgidi artificiosique hujus sermonis puduisse, namque super

hæc addit : « Ac si qui hunc sermonem meum iisdem verbis tam sæpe repetitum inopiæ loquentis assignat, experiatur hoc idem persequi ; sed nihil poterit proferre facundius. »

Quem de Theodosio, Pacatus, Ausonii æqualis, egit panegyricum, ille non verborum simplicitate, sed vigore sententiarum præsertimque animi excelsitate multo præstantior jure habetur.

XIV. Periochæ in Homeri Iliadem et Odysseam.

Ausonius periochas in Homeri Iliadem et Odysseam, cum Gratianum, tum Burdigalenses auditores docendi causa, verisimiliter condidit. Nos autem miramur quod eas soluta oratione scripsit, cum tot alias, quæ nec tam gravis momenti, nec tam poetici spiritus erant, (eæ revocentur quas in Technopægnion et in Eclogario retulimus), materias metrico sermone edidisset : illæ tamen ab eo forsan non editæ sunt.

Periochæ autem illæ ex Homeri libris, (et iis versibus qui singulis præponuntur manifesto constat), in linguam latinam a quodam, fortasse ab Ausonio ipso, translatis, confectæ fuerunt. Imo, non solum e latina aliqua Homeri translatione excerptæ videntur, verum etiam singularia quædam, non ab Homero, sed seu a P. Marone, seu ab aliis Trojani belli scriptoribus, dicta continent.

Quo pertinet imprimis quod ad librum XXII Iliadis refert, nempe Hectoris corpus ab Achille ter circum muros Trojanos raptatum ; et ad librum VII, scilicet Hectorem, lapide ictum, in suorum se recepisse multitudinem, ac, perseverante certamine, caduceatorem Idæum intervenisse ;

et ad librum XXIV, Priamum Achilli supplicem, filii corporis causa repetendi, esse advolutum, etc.; quæ omnia Homerus ignorat, alii vero retulerunt. Quædam contra gravissima, verbi gratia, Hectoris et Andromaches congressum (lib. VI), Hectoremque ab Ajace provocatum (l. XIII), atque ab eodem vulnus accipientem (l. XIV), Achillemque a Patroclo imploratum, etc., obliviscitur.

Item de Periochis in Odysseam.

Quibus de Ausonii operibus dictis, non est cur ultra progrediamur, materiamque fusius extendamus.

CAPUT QUARTUM.

DE AUSONII GENERE DICENDI.

Quod si omnia Nostri carmina, hunc in modum subtiliter explicata, uno conspectu videamus, Ausonium quidem jucunditate dicendi et numerorum suavitate quadam notuisse constat. Ingenii enim acumine, incitata mentis vehementia, concinnitate suavi nitidaque, et venustate versuum, tandem hominum litteris excellentium meditatione, posteris haude dubie commendatur. Quæ vero dotes gravissimis vitiis deformantur, ac prohibent ne quas plerique Ausonio tribuerunt amplissimas laudes, eæ omnino nobis probandæ sint.

Quo verius de hac materia feramus judicium, ac melius quod, ejus operibus vacantes, jam inchoavimus, consilium perficiamus, nonnulla de Ausoniani stili dotibus et vitiis facere verba nostram in mentem venit.

I Dotes Ausoniani generis dicendi.

Ausonius nobis ob facultatem poeticam existimandus primum videtur, qua, facilis et expeditus ad fingenda

poemata, sic illaboratos versus quasi e fonte promebat, ut griphum ternarii numeri intra cœnæ tempus, ac Centonem nuptialem die uno et addita lucubratione condere potuerit : inde fit ut ipsius genus dicendi molle, promptum ac profluens haud immerito agnoscatur.

Ne igitur mireris quod carmina ejus elegantia et venustate habentur præstantissima. In locis maxime, quibus res depingendæ sunt, ingenii suavitatem ac poeticæ dictionis dulcedinem, plane ad veterum rationem compositam, exhibet, prout Mosellæ et Cupidinis cruci adfixi totque aliorum descriptiones haud ægre monstrant.

Jamvero Ausonius præclara eruditione et doctrina tam ornatus erat, ut summa varietate opera illustrarit, nullamque fere humanitatis artem intentatam reliquerit. Quod confirmat Elias Vinetus, in editionis anni MDCIV præfatione dicens : « Nullam Ausonius disciplinam ignoravit...; hinc in ejus scriptis multa se ostendit et varia eruditio, ut cuivis legenti non statim queant intelligi. » Quid vero ad historiam aut geographiam contulerit diligenti cura supra notavimus ; non autem hisce disciplinis modo incubuit, sed etiam ceteris, nempe mathematicis et sideralibus scientiis, mythicisque fabulis, ac naturali sapientiæ operam navavit accuratissimam. Adde quod in omni carminum genere, vel lyrico, vel bucolico, vel satirico, vel tragico, exercitassimus fuit : qua indefessa investigandi patientia legens ita artificiose recreatur, ut Noster sœpius ultra modum ætatis suæ ingeniosus, facundus, elegans ac numerosus videatur.

Ausonius tandem ingenii dotes præclaras multa arte et imitatione meliorum poetarum perpolivit, quare idem Vinetus loco citato de hoc asserere non dubitavit : « Omnes

latinos græcosquescriptores, quorum major pars intercidit, ad unguem novit. » De quo uberius nunc disseramus.

Ausonius primo græcos auctores ita meditatus est, ut ejus oratio græco quasi colore fucata sit. Dicit quidem se attica lingua semper fuisse impromptum,

Obstitit nostræ quia, credo, mentis
Tardior sensus ; neque disciplinis
Appulit græcis puerilis ævi
Noxius error [1].

Attamen ne fatenti nimium credamus. Pater enim ipsius græci sermonis prudentissimus erat :

... verum Attica lingua
Suffecit culti vocibus eloquii [2].

Poeta igitur noster ad græcas disciplinas a pueritia informandus fuit, et quemdam tamen græcum ita retinuit saporem, etiamsi ad hoc studium vel minimam attulerit curam, ut atticum colorem secum duxisse ejus scripta videantur.

Ac primum, carmina nonnulla græce tota scripsit, ut epigrammata XXIX, XXXI, LCCCVIII, et epistolam XIII ; in aliis, sermonem utrumque miscuit in versibus, ut videre est in epigr. XXVIII, XXXII, XL, XIV, et in epist. XII. In ludo septem sapientium, in latinis versibus græca inseruit proverbia, quæ a septem sapientibus proferuntur.

Deinde, Ausonius permultas voces græcas in carminibus dispersit, neque voces tantum quibus, frequenti Romanorum usu, civitas, ut ita dicam, data erat,

1 Prof. VIII, 13.
1 Idyll. II., 9

verum etiam vocabula, e græco fonte sumpta, non autem ab aliis antea adhibita, in latino sermone usurpavit. Nobis liceat nonnulla hic notare : Attubus — epist. XXII, 9. — Cora — epist. XVI, 60. — Cynice, es — epigr. XXVII. — Cystus — epigr. CXXIII, 5. — Dyseros, otis — epigr. XCII, 1. — Emporus, — epist XXII, 28. — Isosceles, — Idyll. XIII. — Epitropus — epist. XXII, 2. — Leuconotus, — techn. de deis, 12. — Scalenus, a, um, — idyll. XIII, pr. — Threnus, i — prof. V, 3. — etc., etc.

Nonnunquam Ausonius vocibus e græco latinoque fontibus simul detortis usus est. Sic : furippus (epigr. CXV, I), myobarbum (epigr. XXXI; de hoc cf. Addenda).

Formas græcas in secunda declinatione quoque adhibuit : vinoio, bonoio, campoisin, quas, ut ipse fatetur, « sermone alludit bilingui, » (epist. XII). Nereos et Nerei, Nestora et Nestorem, Alcida (epigr. XXVII, 3), Leucate (idyll. VI, 24) promiscue scripsit. Mython (prof. XXI, 26) et choriambon (epist. IV, 93) quoque notanda.

Denique, Ausonius non dubitavit multas Græcorum verborum constructiones in latino sermone admittere.

Tum, latinis scriptoribus, pedestri sermone aut metrica lingua utentibus, non minus apte studuit. Ubique, in illis præsertim carminibus, quæ mythicas fabulas narrant, eruditio illa exhibetur. Tam familiare cum P. Marone, aut Q. Flacco, vel Vitruvio, vel Plinio, aut Seneca, aut Lucano, Statiove aut Persio commercium habebat, ut integros fere illorum versus exprimeret. Inde frequenter latinos auctores est imitatus : quod monstrare nobis haud esset difficile. Ne autem tædio legentibus fiamus, atque in materia tam copiosa et prolixa longius evagemur, nonnullos tantum in

medium proferemus inter versus quos in tribus carminibus, scilicet *Mosella* (Idyll. X), *Cupidine cruci adfixo* (Idyll. VI), et primo carmine *Ephemeridis*, e Virgilii atque Horatii operibus proprios sibi fecit.

I. *Versus nonnulli e Virgilio ducti.*

1° In *Mosella.*

Virgilius apud *Georg.* IV, 415, tenui meditatus erat avena :

> Quo totum nati corpus perduxit;

apud versum 112, Ausonius :

> Lubrica cæruleus perducit tergora fucus;

et infra, v. 136 :

> Actæo perductum tergora olivo.

Virgilius, *Georg.* III, 423 :

> .... extremæque agmina caudæ
> solvuntur....

Ausonius, v. 138 :

> Longi vix corporis agmina solvis.

Virgilius, *Æn.* III, 196 :

> Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
> Æquora...

V. 146, Ausonius :

> Exclusum fundit mare, magnaque surgunt
> Æquora...

Ausonius, v. 206, affectata imitatione :

> Dum spectat, transire diem, sua seria, ludo
> Posthabet...

obscuriorem fecit Virgilii versum 17, Ecl. VII :

> Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

Cum Ausonius, vv. 300 sqq., scribit :

> Non hoc spernat opus Gortynius aliger, ædis
> Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
> Conantem Icarios patrii pepulere dolores;...

totum hoc ex *Æn.* VI, 14 sqq. notis versibus expressit.

Virgilius, *Georg.* II, 173, dixerat :

> Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
> Magna virum...

Ausonius, v. 381 :

> Salve, magne parens frugumque virumque, Mosella.

Virg., *Georg.* IX, 563 :

> ... studiis florentem ignobilis oti;

Ausonius, v. 392 :

> ... me studiis ignobilis oti
> Mulcentem curas.

Ausonius, v. 460, versum Maronis *Æn.* VIII, 63 totum usurpavit :

> Stringentem ripas, et pinguia culta secantem.

V. 471, hunc Virgilianum, *Georg.* IV, 370 :

> Et gemina auratus taurino cornua vultu,

hisce expressit verbis :

> Exseris auratum taurinæ frontis honorem.

2° *In Cupidine cruci adfixo.*

Versus primi initium, « aeris in campis », Virgilianum est (*Æn.* VI, 887).

V. 5, « sub luce maligna » a Virgilio (*Æn.* VI, 270) adhibitum est.

V. 9, Ausonius dicit :

> Fleti olim, regum et puerorum nomina, flores ;

sed Maro scripserat, Ecl. III, 106 :

> ... Inscripti, nomina regum,
> Nascantur flores.

V. 49, Ausonius :

> ... auratas fulgentia cingula bullas ;

Virgilius, *Æn.* IX, 359 :

> ... aurea bullis
> Cingula...

Tandem, v. 103 :

> .... portaque evadit eburna,

Virgilii ex *Æn.* VI, 898 sumitur.

II. *Versus nonnulli ex Horatio ducti.*

1° *In Mosella* (Idyll. X).

> V. 102, ... Dubiæ facturus fercula cœnæ :

hoc Ausonius affectavit e serm. II, sat. 2., v, 76:

> .... Vides ut pallidus omnis
> Cœna desurgat dubia ?

Quæ apud v. 167 conduntur :

> Probra canunt seria cultoribus...

ea Ausonius ex Horatio serm. I, sat. 7, 29 duxit. Ut Q. Flaccus, in v. 65 art. poet. dixerat « regis opus », sic Ausonius, in v. 290 « regis opus magni. »

2° *In Cupidine cruci adfixo.*

v. 45, Ausonius:

> ... furvæ caliginis umbram;

Horatius in Carm. II,13, 21:

> ... furvæ regna Proserpinæ.

3° *In carmine primo Ephemeridis.*

Sic Ausonius, v. 18 :

> Surge! ne longus tibi somnus, unde
> Non times, detur : rape membra molli,
> Parmeno, lecto.

At Horatius, in Carm. III, 8, 33 :

> Surge, quæ dixit juveni marito,
> Surge, ne longus tibi somnus, unde
> Non times, detur : socerum et scelestas
> Falle sorores.

In v. 24, Ausonius scribens « acer iambe », memorat quæ Flaccus, art. poet. 79, et Carm. I, 16, 24, de iambo retulit.

His addere *Centonem nuptialem* possem, quo, ut notum est, « variis de locis, sensibusque diversis, quædam carminis structura solidatur : in unum versum ut coeant aut cæsi duo, aut unus et sequens cum medio ». At totum carmen illud e Virgilianis versibus constructum est : quare Ausonium « piget Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehonestasse materia. » Quod ad conficien-

dum opus, necesse erat ut poeta P. Maronis operibus omnino ac penitus imbueretur.

Inde fit igitur ut Vinetus merito indicaverit Ausonium græcos latinosque scriptores ad unguem novisse. Ac jure deducere possumus ipsius genus dicendi ex hac alta litteratissimorum superioris ingeniorum ætatis meditatione cunctas quibus illustratur dotes extraxisse.

II. Generis dicendi Ausonii vitia.

Etsi vero sagacitate ingenii, judiciique acumine et assiduo optimi aureique ævi litterarum usu commendatur, sanus tamen et incolumis per sæculi nævos fæcesque non evasit. Plurima hujus sæculi vitia Ausonianum dicendi genus ita imbuerunt, ut poetæ nostri sermoni multa insint, quæ mirum sit eum scriptorem potuisse admittere, qui alias ita bene dicendi curam præ se ferat, ut in elegantioribus censeri mereatur.

I. Primum, Ausonii scripta immodico tumore haud semel inflantur : hoc enim tempore doctorum sermo a nativa simplicitate atque a non fucato lepore desciverat, et in turgidam affectatamque orationem aberraverat. Quod quidem Symmachus ipse testatur : « Trahit nos usus temporis in argutiis plausibilis sermonis. Quare æquius admitte linguam sæculi nostri, et deesse huic epistolæ atticam sanitatem boni consule. » Summam sermonis elegantiam in jejuna verborum concertatione atque inani strepitu quoque solebant affectare. Nobis sit documento Ausonii *gratiarum actio pro consulatu.*

E verborum tumore, quemadmodum solet fieri, sequitur ut sententiæ sæpius negligantur et obscurentur; idem quoque ex illis difficilibus nugis tenebricosisque poematibus, quæ, inscitius duriusque dicta, quamdam orationis inexplicitam difficultatem produnt.

Quam affectat eruditio tædium quoque legenti sæpius affert, cum jejunam materiam numerorum suavitate non condiat : quod in *ludo septem sapientium* et in aliis carminibus perscrutari licet.

Cum hac fucosa et obscura eloquentia alii nævi arctissime sociantur. Ausonii enim opera permultis verbis hinc inde adspersa sunt, quæ barbarismi speciem habent, aut latini puritati sermonis minime conveniunt, et quæ, a bonis scriptoribus nunquam usurpata, non nisi a rudibus indoctisque hominibus enuntiata fuerunt. Quod haud ægre ostendemus, si in hac disserendi ratione Andreæ Meurer, Aquisgranensis, de Ausonii genere dicendi quæstiones [1] breviter contraxerimus, quas cum tertio C. Schenkl editionis indice [2] sedulo recognocemus.

II. — Ac primum, novitatis Ausonius studiosus erat. Nova permulta vocabula, neque raro novas eorum terminationes finxit, nulla licet necessitate cogeretur.

Inter vocabula, quæ usurpavit Ausonius, hæc componenda, et notanda maxime, mea quidem sententia :

1° *Substantiva.* — Constrator (techn., de deis, 12). — Edissertator (sap. prol., 33). — Manamen (Idyll. X, 32). — Semidies (Eclog. de rat. dier., 5; ibid. de rat. sols. I., 2). — Semipuella (Idyll. XI, 21). — Saturnigena (Idyll.

1. Monasteri, MDCCCLXXIII.
2. Berolini, apud Weidmannos, MDCCCLXXXIII.

XV, 22). — Cœligena (Ecl. de fer. rom., 36). — Limicola (Epist. VII, 36). — Occursator (Id. II, 25), — Pava (epigr. LXIX, 4). — Aquilonigena (Id. X, 407).

2° *Adjectiva.* — Inaspicuus (epist. XXII, 22). — Limigenus (id. X, 45). — Mellifluens (epist. XVI, 14). — Placidulus (par. XXVII, 3). — Atricolor (Epist. VII, 2). — Flagrifer (Epist. XIV, 10). — Immaculabilis (Grat. act.) — Oblectabilis (Epist. XIX, extr.) — Lacticolor (epist. VII, 54). — Remipes (epist. III, 13). — Fletifer (Idyll. VI, 74). — Modificus (par. XXVII, 2). — Tergenus (Idyll. XI, 43). — Floriparus (Techn. de vere primo, 1. — Nautalis (id. X, 223).

3° *Verba.* — Antepereo (Epigr. XXXIV, 2). — Circumloqui (Epigr. CXLVI, 15; Epist. XVI, 8.) — Compendifacere (epist. XVII, extr.) — Defulgurare (in perioch. in Il. V, II). — Humificare (Idyll. VIII, 12). —

4° *Adverbia.* — Glomerate (Grat. act.). — Fucate (id. IV, præf). — Indefesse (Grat. act.). — Signanter (Grat. act.). —

— Inter inusitatas vocabulorum terminationes notabimus

1° *Substantiva* : — Baculus pro baculum (Epigr. LIII, 1). — Lact — lac (Idyll. XII, 13). — Nubs — nubes (technop. de hist., 12). — Seps — sepes (Idyll. XII, 11). — Procacia — procacitas (Epist. XXII, procem.). — Pueritiеs — pueritia (prof. Burd. X, 15.). — Pœnitudo — pœnitentia (sap. Thal. 82). — Rates — ratis (Epist. II, 5.)

2° *Adjectiva.* — Celebris, (forma generis masculini; — prof. XXI, 10). — Dedecor pro dedecorus (Epist. IX, 5.) — Irrequies — irrequietus (Ephem. or., 16.) — Opulens — opulentus (Idyll. II, 7.)

3° *Verba*. — Dignare pro dignari (Epist. XVI, 60.) — Reminisco — reminiscor (Epigr. XLVIII, 49).

III. — Tum, Ausonius in nominum substantivorum aut adjectivorum declinatione, et in verborum conjugatione, aliquid inusitatum affectavit; verbi gratia :

Voces litterarum beta, gamma, delta..., quas secundum primam declinationem flexit (Idyll. XII, de monos.). — Die pro diei, in genetivo casu (Ecl. de rat. libr., 31.). — Solæ pro solius (præf. Cent., Idyll. XIII.). — Utroque — utrique (prof. III, 6.). — Neutri — neutrius (epigr. 4, 6). — Cythereïe (Idyll. VIII, 26); Martie (Clar. Urb. XIII,), pro Cytherei et Marti, in vocativo casu.

Participia nonnulla deponentium verborum, quæ apud optimos scriptores activam significationem habent, ab Ausonio passiva notione proferuntur : Bipertita (Perioch. II.) — Mentitis (epigr. CXXXV, 5). — Oblita (Epigr. XIII, 17; Idyll. IV, 52.)

In verbis, insuetas conjugationum formas reperimus: — Face pro fac (Epigr. LXXX, 4.). — Redimibat pro redimiebat (Epigr. XCIV, 1.). — Sepilibis — sepelies (Epist. XXV, 61). — Sinisti — sivisti (Prof. XVII, 15).

IV. — Præter hæc, archaïsmo Ausonius sermonem suum maculare non dubitavit. Quod vitium quidem scriptoribus, Ausonii sæculo florentibus, commune erat, ut supra diximus, ac quemadmodum Symmachus, vir eruditionis magnæ, fatetur. [1] Itaque, multis vocabulis, vel terminatione vocum et declinatione, paulo magis priscis atque obsoletis, usus est.

1. Epist. III, 14.

Primæ declinationis genetivus in *ai* syllabam apud Ausonium desinit in Idyll. VII, 5.

Syncopa numeri pluralis genetivus terminatur in *um* pro *arum* (epigr. XXXIII, 2; prof. X, 22; epitaph. XXVII; Idyll. XII; epist. XXIV, 55; clar. urb. II, 9; Idyll. X, 9.) Item, in secunda declinatione, *um* pro *orum* (epigr. CXVIII, 6; III, 6; clar. urb. I; par. VI, 6; Idyll. X, 381, 407; I, 25).

Accusativi tertiæ declinationis numerus pluralis in *eis* desinit in Idyll. V, 2; X, 204; XIV, 44.

Legimus quoque fructi pro fructus (sept. sap. Chil. 10.) — Nuruis pro nurus (par. XVI, 1.) — Spiritu — spiritui (ephem. parecb., 18.)

Formam ipsus pro ipse, in comœdiarum scriptoribus maxime usitatam, Ausonius exhibet (Idyll. XII, extr.); præterea, olli, ollis, pro illi, illis (Idyll. VI, 90; Eclog. de rat. puerp. mat., 4); quoi (Idyll. XI, 68; epist. XVI, 30); queis et quis (epitaph. XXII, 1, 2; clar. urb. VIII, 8); istic, istæc, istoc, quibus comici Plautus et Terentius præcipue usi sunt (epist. VIII, 13; epigr, XXVII, 1; sept. sap. Cleob., 8).

Obsoletam infinitivi passivam formam in *er* desinit (epigr. CXXXIX, 7); verbi sum vetustas exhibet quoque formas (sept. sap. Bias, 9; epist. XVI.)

Tandem adverbium præs (lud. de sept sap. Ludius, 19), et præpositionem endo(Techn., Gramm., 18) reperimus.

CAPUT QUINTUM.

DE RE METRICA AUSONII.

Nunc veniamus ad rem metricam Ausonii, de qua disseremus juxta Commentationem philologicam, cui titulus inscribitur, *De re metrica Ausonii*, auctore Theob. Ræhse. [1] Inde clarius apparebit, quam merito dixerimus hunc archaïsmo usum fuisse, et poetarum, Augusto imperante, florentium auctoritatem secutum; tum, quæ ejus poeticum vitient genus, videbimus.

I. — Ausonius, in re metrica sua poetarum veterum fuit studiosissimus, præsertim Ennii, quem valde adamare videtur.

Illius imitatione *apocopam* aliquando adhibuit. In techn., grammat. 3, 16, 18, voces gau, cœl, do inseruit pro gaudium, cœlum, domum, etc.

Tmesi quoque, juxta eumdem Ennium, aut Lucilium. aut Lucretium, utitur : sic, in epist. V, 34, scribit :

Villa Lucani mox potieris aco.

Tandem, frequentissime *allitterationem* adhibuit, quam

1. Beronili, MDCCCLXVIII. — Cf. Schenkl ed. ind. III.

antiquioris ætatis carminum conditores sæpius affectaverunt. Nonnunquam, ut vera dicam, hac usus est per ludum poeticum, sed fines legitimos excessit. Perlongum esset omnia dinumerare exempla : quædam tamen majoris momenti afferamus :

Cum capillo comparans, — epigr. XVII, 7.

Potat duplum dapesque devorat duplices, — epigr. CXVII, 2.

Melle multo mens madens, — prof. XV, 2.

Probe et pudice, parce, — prof. IX.

Stabilem sortita superbia sedem, — nob. urb., XV.

Campus comitiis ut conscriptis curia, — sept. sap. prol., 9.

Vanum vibrare vigorem, — idyll. VI, 51.

Tergenus, omnigenus, genitor, genitrix, generatum, — idyll. XI, 49.

Bis novies denos deciesque novenos, — Epist. V, 5.

...Habet et sua sibila serpens, — Epist. XXV, 18.

II. — Antiquos vero non poetas solos Ausonius imitatus est, sed etiam in carminibus multas classicorum, præsertim Virgilii atque Horatii, leges servavit : in quo laudandus est.

Sic *syncopam*, eorum imitatione, rara quidem, adhibuit : Repostis (nob. urb. III, 6), — imitatione Virg. Æn. VI, 655; XII, 26; Georg. III, 527. Cf. Hor. epod. IX, 1.

Imposta (epist. VIII, 5), — Virg. Æn. IX, 716. — Etc...

— In *synizesi* vero studiosissime præstantium poetarum genus secutus fuit. Quædam notemus :

Aurea (eph. carm. postr., 19), — Virg. Æn. I, 726; V, 352; VIII, 372.

Alveūm (nob. urb. XIV, 17; idyll. X, 83, 142, 454) — Virg. Æn. VI, 412; VII, 33; Georg. II, 453.

Omniā (idyll. XVI, 24), — Virg. Æn. VI, 33.

Proīnde (prof. X, 47), — Virg. Æn. II, 383.

Arīete (ecl. de rat. dier. ann. vert., 3), — Virg. Æn. II, 499; VII, 175; XII, 706.

Parīetibus (idyll. XI, 44), — Virg. Æn. V, 589.

Cui (epigr. XII, 10; CXIII, 1; ephem. or., 14; par. II, 3; prof. XVII, 4; nob. urb. IX, 3; X, 3; idyll. I, 6; IV, 43; X, 80) una numeratur syllaba, sed bisyllabum illud pronomen scripsit in præf. ad Drep. 6; idyll. X, 312.

Proūt (idyll. X, 372), — Cf. Hor., sat. II, 6, 67. — Etc...

— *Contractionem*, pro horum quoque poetarum more, et adhibuit :

Æneadum (epigr. XXXIII, 2; Cæs. monost., 6), — Virg. Æn. I, 529.

Cælicolum (eclog. de lustr. ag., 2) — Virg. Æn. III, 21.

— Juxta illorum exemplum, pænultimam horum verborum fecit breviatam :

Ipsius (epigr. XXXVI, 3), — Virg. Æn. XII, 114.

Contigerunt (prof. XVI, 10), — Virg. Georg. III, 282 : miscuerunt; — Hor. epist. I, 4, 7 : dederunt.

Potitur (Cæs. monost., 5), — Virg. Æn. III, 55.

— Postremo, in quantitate earum vòcalium, quibus muta littera cum liquida conjuncta subjicitur, hos poetas imitatus est :

Quādrijugo (ephem. or, 41); Virg. Georg. III, 18; Æn. XII, 162.

Quādrupedum (ephem. carm. postr. 1) — Virg. Æn. XI, 714.

Ludībria (idyll. VI, 75), — Virg. Æn. VI, 75; Hor. carm. I, 14, 16.

Mediŏcribus (idyll. VIII, 11), — Hor. sat. I, 14, 130; II, 2, 94.

Ăgrum (epist. X, 18), — Virg. Ecl. I, 73; Hor. sat. I, 8, 12.

Muliēbre (idyll. XI, 8), — Hor. Epod. XVI, 39.

— Interdum etiam præcedentis vocis syllabam, brevi vocali terminatam, produxit vocabulo a muta quæ cum liquida conjungitur incipiente;

Valete et plauditē. Plures boni (sept. sap. Bias, 13).

Librā, scorpius.., (eclog. de sign. cæl.)

Jane novē, primo qui das... (de iisd. mens. 1).

Item, apud Virgil. Æn. VII, 186 : spiculaquē clipeique.
Æn. XII, 181; fontesquē fluviosque
Georg. I, 152; III, 385; lappæque
tribulique.

Apud Horat. sat. I, 396 : ferē placuit.

— Sæpe vero productionem post mutam, cum liquida conjunctam, Ausonius neglexit, maximos secutus poetas :

Ătrox (epigr. CXXXIX, 6), — Hor. carm. II, 1, 23; Virg. Georg. I, 408.

Volŭcrum (ephem. carm, postr. 1), — Virg. Æn. X, 440; Hor. sat. I, 8, 6.

Prŏprias (par. XIX, 6), — Hor. carm. I, 1, 9; epist. I, 17, 5 : — Virg. Æn. VI, 872.

Ludĭcra (idyll. IV, 1), — Virg. Æn. XII, 764.

Dŭplicato (epigr. 3), — Virg. Æn. I, 323.

Vĭtreo (epigr. CCXXIII), — Virg. Georg. IV, 350.

III. Ex illorum poetarum, seu antiquorum, seu recentio-

rum, imitatione satis superque constat Ausonium re metrica usum fuisse, quæ, dotibus singularibus illustrata, admirationem nostram possit movere. Qui enim tam bene leges a præstantibus versuum conditoribus statutas novit, hisque tam apte sese accommodat, — ille necesse est ut pure atque emendate numerosque modosque servet. Attamen Ausonii res metrica vitiis gravibus inficitur, quæ patefaciemus, pauca de elisione, tum de syllabarum quantitate, tum de hexametro et pentametro verba facturi.

1° *Elisio.* — Sæpe vocum finem Ausonius elisione detrahit, eamque ita frequentat elisionem, ut sæpissime duæ elisiones uno eodemque versu legenti occurrant. Hæc sufficiant exempla :

Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea regem (epigr. VIII, 1).

— At lepus : in me omnis terræ pelagique rapina est epigr. XIV, 3).

— Tanta illi nostra est de probitate fides (epigr. XVIII, 4).

— Consule, ut imperium divisi attolleret orbis (nob. urb. VI, 8).

— Mitis ubi, et riguæ larga indulgentia terræ (nob. urb. XIV, 9).

— Namque, et Proneæ Nemesæque adjuta meatu (idyll. X, 354).

— Quin etiam, tres reperiuntur uno eodemque versu elisiones :

Atque oleum. Bene ais : causa sed ista mihi est (epigr. XXXIV, 8).

— Nosse Deum, et fratrem diligere ante alios (par. XII, 8).

— Arborium, Arborio patre, et avo Argicio (prof. XVI, 6).

— Quatuor in hisce versibus :

Parva unquam æquanimis, adde etiam unanimis (idyll. III, 10).

Si scelere abstineo, errori ipse obnoxius, et si (ephem. or., 52). — Etc., etc.

— Elisionem in ultimo versus pede notamus in quibusdam prædictis, et in sequentibus :

Lætus, pudicus, pulcher, in senio quoque ut (prof. IV, 21). — Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est (epigr. XLIV, 1). — Sit satis hoc, Pauline pater : divisio facta est (par. XXIII, 19). — Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est (idyll. IV, 6). — Quis fuit ille dies ? non annus longior ille est (epist. II, 11).

— Elisionem, contra, non semel neglexit :

Hic ego Ausonius : sed tu ne temne, quod ultro (præf. ad Syagr, 39).

Octipedem in Cancrum Phyxeo ab Ariete pergens (de rat. dier. ann. vert., 3).

2° *Quantitas syllabarum.* In hac rei metricæ suæ parte, Ausonius, elegantiorum more poetarum sæpe neglecto, multas sibi sumpsit licentias. Quod probandum curemus.

Syllabas longas et in fine vocum et in mediis vocabulis libidinose corripuit.

Ac primum, syllabas vocali finitas : contrā : sæpe mora est, quotiens contră parem dubites (præf. ad Theod., 16) ; nonagintā fit nonagintă (epist. V, 5 ; ecl. IV, 1).

Persæpe voces vocali o terminatas breviavit. Exempla tam multa possent afferri, ut fastidio legenti essent ; nonnulla tantum notabo :

Origŏ (præf. ad Syagr, 8 ; prof. XVI, 8 ; XVII, 6). — Virgŏ

(epigr. LXIX, 14 ; CI, 2 ; CII, 2 ; CIII, 3). — Formidŏ (idyll. IV, 28). — Effundŏ (epigr. IV, 3). — Dicŏ (epigr. LV, 1). — Diligŏ (par. XXIII, 12; nob. urb. XIV, 39), etc.

Quam licentiam Ausonius sibi assumpsit, ætatis poetas inferioris consuetudinem secutus; nam, ut notum est, qui classici vocantur parce illam admiserunt, plerumque in bisyllabis vocibus, quarum prior brevis (sciŏ, Virg. *Æn.* III, 602 ; eŏ, Hor. sat. I, 6, 119 ; rogŏ, Hor. epist. I, 1, 11 ; vetŏ, Hor. sat. I, 1, 104) ; aut in trisyllabis, quarum prima tantum longa : dixerŏ (Hor., sat. I, 4, 104) ; nesciŏ (Virg. *Georg.* I, 412 ;IV, 55).

— Gerundivos item corrupit ablativos : percontandŏ (epigr. XII, 15). — Meditandŏ (epigr. CXLI, 2). — Faciendŏ (Cæs. tetrast. V, 4). — Præfandŏ (idyll. IV, 54).

— Præterea nonnullis finalibus, nunc longis, nunc brevibus, metri necessitati indulgens, usus est :

Ergŏ (epigr. XV, 3 ; par. III, 18 ; XVIII, 11 ; XXIX, 7; epist. XXV, 56) ; ergō. (par. XXVI, 7; idyll. XVII, 18). — Ambŏ (epigr. XL, 2; par. VII, 11; prof. X, 8; XXI, 25, 26 ; epist. I, 6; XXV, 47) ; ambō (epigr. CXXXIV, 4).

Plerumque apud poetam nostrum, sicut apud optimos, egŏ sic se habet (epigr. VII, 1 ; VIII, 5; XII, 2; LXVI, 2 ; LXIX, 16; par. X, 1; idyll. IV, 38, 94 ; X, 341, 389, 438, 448, 482); sed in præf. ad Syagr., 35; epigr. LIV, 6; CV, 7, libidinose fit egō.

Tum, consonanti terminatas finales : — Heliăs pro Heliās (ephem. ar, 42). — Celeripĕs (par. XXVII, 4) pro celeripēs. — Bipĕs, tripĕs (idyll. II, 39), lentipĕs (epist. XXI, 40), corripuit.

Item, medias voces breves fecit.

In pænultima syllaba : bŭbus pro būbus (epigr. LXII, 2).

In antepænultima: Phĭdiæ pro Phīdiæ (epigr. XII, 1). — Solĭcismus (epigr. CXXXVIII, 2). — Clytĕmestra (ep. her. I, 4). — Phăeacum (idyll. XI, 36).

— Nunc ad productionem syllabarum veniamus.

Finales syllabæ producuntur in hisce vocibus inter plures: quiā pro quiă (prof. VIII, 7). — Discē (epist. V, 35); — quæstōr (præf. ad Syagr., 35). — Finīs (par. VI, 19). — Solūs (par. X, 14). — Ausoniūs (prof. XX, 6). — Fugīs (ep. her. XXX, 2), etc.

In his, postrema syllaba cæsuræ vice fungitur.

— Pænultima producitur in dēhinc pro dĕhinc (prof. XXIV, 6); antepænultima, in vocibus: parrīcida (Cæs. tetrast. XXI, 2); palātia (præf. ad Syagr, 25).

Adde quod, parum sibi constans, eamdem syllabam ejusdem vocis, ut cujusque versus numeri postulabant, nunc corripuit, nunc produxit:

Discīplinarum (præf. ad Syagr,, 14); discĭplinis (prof. VIII, 14). — Celēbrem (nob. urb. XI, 2); celĕbris (nob. urb. V, 7). — Celēbrasti (prof. V, 8); celĕbrata (præf. ad, Syagr, 17).

IV. Nunc de iis, quæ ad hexametrum et pentametrum pertinent, disseram.

In his quæ ad cæsuram attinent, quædam vituperamus: his versibus cæsura legitima non inest:

> Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis et ingens.
> Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris (eclog. de sig. cœl. 11, 16), etc., etc.

Aliquoties cæsuram Ausonius in ultimo pede admisit:

> Quod Castor cunctis de regibus ambiguis, quod (prof. XXII, 7)

et:

> Tu quondam puero compar mihi discipulus: mox (prof. XXIV, 5),

Item, in epigr. LV, 1 ; XCII, 3; CXVIII, 3; CXXIX, 1; par. XI, 3 ; idyll. II, 7 ; III, 9; VIII, 1, etc.

Huc quoque spectat totum carmen, quod *technopægnion* (idyll. XII) inscribitur : illud enim ita conditur, ut quisque versus nunc monosyllaba voce finiatur, quæ in versus sequentis initio ponitur, nunc in monosyllabum verbum exeat.

— Persæpe duobus, seu interpunctioni subjectis, monosyllabis Ausonius versus finivit (præf. ad Syagr., 15; epigr. V, 1; XII, 9; CXLIV, 1 ; par. I, 7; IX, 19; prof. XVII, 4; idyll. IV, 39 ; X, 357, etc) ; seu nulli interpunctioni (epigr. VIII, 5; CXVIII, 15; CXLV, 1 ; idyll. III, 11; II, 1, 59, etc). — Tribus monosyllabis versus terminatur (epigr. XII, 7 ; nob. urb. XIV, 39).

— Permulti hexametri in dispondeum exeunt, qua re spondaici fiunt: inter quos numerare liceat eph. carm. post., 32 ; par. XI, 7; prof. XXII, 1 ; nob. urb. XII, 5; idyll. I, 23, 25, 28; IV, 82 ; X, 11, 342, 452; XI, 53; XVII, 15 ; epist. IV, 8, etc. — Quibus omnibus locis Ausonius in quarto pede dactylum, spondeum vero in epist. IV, 56, posuit.

— Interdum quoque hexametri vocibus, quæ syllabis quinque constant, finiuntur : epigr. LXIX, 11 ; LXX, 9 ; C, 2 ; CXIX, 1 ; prof. XX, 1 ; XXIII, 7; ep. her. XII, 1 ; Cæs. monost. de ord. imp. 10 ; de mort. 10; nob. urb. III, 1, 3; idyll. VI, 87; X, 120, 424, etc.

— Pentametrum vero Ausonius, classicorum more, raro admodum, voce monosyllaba finivit: epigr. XII, 2; XIII, 2; LXXVII, 2; CX, 2; CXXXIV, 4; idyll. III, 18; plerumque bisyllaba; interdum tamen trisyllaba (præf. ad Theod., 22; ad Syagr., 2, 4, 18, 24, 30, 36, etc); tetrasyllaba

(pref. ad Syagr., 16, 22, 28; epigr. III, 4; prof. I, 18; etc).

Unum carmen pentametris totum componitur : hoc est sept. sap. sent. vers. explic., Thales.

Hæc sat erunt, ut de re metrica Ausonii possimus judicare.

CAPUT SEXTUM.

AN AUSONIUS ÆQUALES SUPERAVERIT.

Ausonii operibus membratim ac diligenter consideratis, atque ejusdem genere dicendi aut re metrica æstimatis accuratissime, nunc quo loco, tum inter æquales, tum inter ceteros poetas, Noster ponendus sit, dispicere animus est.

Si quosdam quarti sæculi litteratissimos audias viros, Ausonius optimis aureæ ætatis scriptoribus par habendus est; Symmachus enim in ejus carminibus « improvisam clarorum versuum dignitatem » celebrat, illaque libris Maronis adjungit; quin etiam, ab Ausonii manu profecta pagina quædam brevis ipsi videtur « atticis salibus adspersa et thymo odora; » tandem, in illius scriptis « oblitam Tulliano melle festivitatem » invenit.

Rursus posteriori sæculo, Nostri opera litterarum studiosis exempla, quæ imitari, non autem possent exæquare, proponebantur.

E præcedentibus vero quæstionibus necessario sequitur ut Ausonius indignus sit, qui amplissimis laudibus illis afficiatur; namque plura vitia ejus sermoni cohærent, quam

ut inter nobiles poetas numeretur; quin imo, mox eidem nomen poetæ denegabimus, ut illi versificatoris tantum tribuamus. Etsi autem tanto honore carere omnino debet, videtur tamen æquales fere omnes ingenii acumine et suavitate carminum superavisse.

Rex enim Galliæ scholarum habitus, coronam cum a rhetoribus, tum a grammaticis victor facile accipiebat. Sed ægre dijudicaremus an quod æquales ipsi tribuebant præconium mereretur, cum plerorumque carmina, quæ fere tota injuria temporum perierunt, ad nos non pervenerint, nec ea cum illius scriptis conferre possimus : inter quæ Axii Pauli, Gregorii Tetradii, Afraniique Syagrii et Pacati Drepanii opera nominabo. Attamen, quantum meditatione et conjectura adsequor, Ausonius poetas illos vicisse merito videtur; nam, per sæcula posteriora, nullum ex horum scriptis servandum haud dubie curaverunt, quod nihil in iis memoriæ commendandum videbant; quare, ut mea quidem opinio fert, qua delentur sempiterna oblivio scriptores eos Ausonio cessisse sine controversia indicat.

Nunc vero ad poetas, quorum opera adhuc exstant, nempe ad Avienum, Palladiumque et Juvencum, nos convertamus. Quorum famæ Ausonius sua laude quoque obstitit : merito quidem. Omnes enim materiarum novitate, eruditione ac varietate, aut stili elegantia et dictionis poeticæ suavitate superat.

Namque, dum præstantiora Ausonii carmina, scilicet Mosella, Cupido cruci adfixus, epistolæ ad filium aut nepotem, etc., ingenii fecunditate placent, nec ad ullum exemplar excogitata fuerunt, — cæterorum opera materias, quas alii jam expresserant, modo renovant. Avienus enim græcos auctores ita imitatus est, ut illorum scripta.

Phænomenorum instar Arati, e lingua nativa in latinam duntaxat transtulerit; descriptione præterea orbis terrarum, simile Dionysii opus latino carmine et reddidit; tandem, ejus *Ora maritima* carthaginiensium scriptorum translatio ad verbum expressa videtur. Item, Palladius, de re rustica, inprimisque de insitionibus disserens, Columellæ, qui de cultu hortorum egerat, vestigiis modo institit; Juvencus vero metrico sermone evangelicas historias tantum condidit. Inde Ausonius, cum versus fuderit e proprio fonte, vi excogitandi ac latiori spiritu omnibus præstat.

Tum, summam illius eruditionem jam indicavimus, qua in omni carminum et disciplinarum genere versabatur, operaque jucunda adspergebat varietate. Æquales autem in una materia, Avienus scilicet in geographica, Juvencus in sacra, Palladius in rustica, multi sunt, nec sententiarum diversitate commendantur.

Denique, Avienus, quamvis in Dionysii Periegesi aliisque carminibus versus numerose et volubiliter fudit, tamen, ut notavit Barthius, « vel a doctis ipsis rarissime nominatus, ob mendorum, credo, copiam. » Juvencus haud magnam dicendi elegantia et poetici sermonis dulcedine famam consecutus est. Tum, Palladius, juxta Lemaire adnotationes, affectasse et constipasse metaphoras videtur, eoque orationem reddidit obscuram, quæ et alias verbis impedita, et nonnullis sæculi vitiis inquinata est. Tandem, nullus horum tam animum et mentem suam cogitatione hominum litteris excellentium, quam ipse Ausonius conformavit.

Illi igitur æqualibus omnibus ingenii præstantia atque arte poetica antecellere contigit. A duobus ætate sua fere

supparibus poetis, nempe Rutilio et Claudiano, solis æquari nobis videtur. Quos vero in certamen cum illo deducere non possumus, cum Rutilius Numatianus insigne de Itinerario carmen, anno Christi CDXVII, imperante Honorio, scilicet Ausonio jamdiu defuncto vita, condiderit, Claudianusque primos latinos versus post ejusdem mortem ediderit. Quod si ambo, Ausonio vigente, floruissent, ille fortasse cum iis ingenii sensuumque nobiliorum splendore et orationis elegantia ægre contendisset.

Nullam quoque de Prospero Tyrone, gallico poeta christiano, mentionem fecimus, qui amœnissimam, breviorem quidem, ad uxorem, ut se Deo consecraret, exhortationem, anno CDVII Christi, nempe Ausonii post tempus, tradidit.

CAPUT SEPTIMUM.

CUR AUSONIO POETÆ NOMEN SIT DENEGANDUM.

Hactenus de genere dicendi Ausonii disputavimus, ac maxima cura cum illius dotes, tum vitia notavimus. Inde visum fuit ut singularibus virtutibus scriptor ille notuerit, quamvis haud levibus licentiis deformatus sit. Ex æqualium quoque testimoniis atque operibus hunc ipsis magno honori fuisse, ac merito primo inter eosdem loco positum apparet. Attamen, mea quidem sententia, minime dubitandum est fateri Ausonium potius peritum atque elegantem carminum conditorem quam vere poetam fuisse; quod necesse est diligenter confirmemus.

Constat enim auctorem, qui hoc humanissimum poetæ nomen, « quod nulla unquam barbaria violavit » vere consequi cupit, non solum sententias poetico ac numeroso debere induere vestimento, sed etiam natura ipsa valere mentisque viribus excitari, et quasi divino inflari quodam spiritu, de quo M. Tullius, pro Archia poeta agens, optime disseruit. Poeta enim sic impellitur ut rem magnam et gravem, hominum admiratione dignam, inchoet ac perficiat.

Ausonius vero, nulla diviniori mente excitatus, naturalem facilemque animi vim et facultatem in futilem, quasi domesticam et omnino temporibus accommodatam, poesim exercuit. Sæpissime enim carmina edit, non ut cogitationes mentis explicet, sed ut ore rotundo loquatur, circuitumque et orbem verborum conficiat; quin imo, se quid dicat aut sit dicturus nescire ipse fatetur; attamen in summam concinnitatis consectationem inanemque vocum volubilitatem se effundit, ac lepide dicenda modo excogitat. Quod ipse, Pontio Paulino scribens, confirmat : « Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere. Medius fidius, neque ipse bene intelligo [1]. »

Cum igitur cogitationis curam negligeret, minime poetico ardore debebat vigere ; quare vel in quibus carminibus omnium admirationem movet, haud magnam sententiarum novitatem exhibet. Præstantiora enim illius opera, cum ejus generis sint, quo res describuntur, poesim quasi corporalem, ut ita dicam, patefaciunt, quia poetæ, qui naturæ spectacula exprimit, alta animi meditatione haud opus est. Itaque, cum Ausonius ab ipsa natura oculos deflectit, nullum e mente sua œstrum potest trahere; tunc necesse est ut in ludicra carmina et lusuum poeticorum nugas, quæ nullius ingenii sunt, descendat.

Ceterum, ut vera fatear, eadem erant, sæculo Christi quarto, poeseos vitia. Hac enim ætate, poeticus ardor, jamdudum pressus , ad litterarium ingenium atque ad quoddam inter lectiores humanioresque viros oblectamentum modo erat redactus. In ipsa Gallia, quæ totius imperii humanissimis affluebat disciplinis provincia, lit-

1. Ep. XIX.

teræ a solis grammaticis aut rhetoribus, qui putidam ostentabant doctrinam, celebrabantur. Orationis enim ampullas, sermonisque ambitum et furiosam eruditionis consuetudinem cum affectarent, meris nugis fingendis se dabant, nisi materiæ descriptioni rem metricam interdum accommodarent. Nam qui litteris tunc vacant eruditi quidem, aut diversi, libati acutique sunt ; elocutionem vero et genus dicendi solum subtiliter curant: itaque mox vitiatur lingua, inprimisque recta sani sermonis intelligentia; poesisque obsoletis auctorum recordationibus puerilibusque artibus tantum alitur.

Ausonius gravissime peccavit, quod vitiis illis se dedit, nedum iis obsisteret. Nonne enim vituperandæ latinæ poeseos inclinationi ille valebat reluctari, qui tantis ingenii dotibus præditus erat, cum in illo ad naturam eximiam atque illustrem accessisset ratio conformatioque doctrinæ, atque ex aliis fontibus, quam e quibus æquales œstrum haurire solebant, animi vim ac præstantiam trahere posset?

Quartum enim sæculum Christiana religio orbem terrarum præceptorum dogmatumque lumine fovebat, et quocumque eam doctrinam effuderat, quæ non animas solum, sed etiam liberales artes, ingenuas litteras et philosophiam ad vitam veram vocare posset. Ausonius igitur qui, ut supra confirmavimus, Christianus erat, ex his sublimibus christianæ religionis disciplinis trahere debuisset quod ipsi paganorum poesis abnuebat. Hei vero! nomine solo Christi discipulus, mythicis, quibus nullus jam excitari poterat vates, fabulis adeo excitatur, ut artificiales artis ingeniosæ, sed labentis senectute, rationes eum modo oblectent, et summa rerum tantum delibatus, rhetorum instar, longe absit ab illa morum, virtutum, fidei restitutione, per quam

quasi novus sanguis in veterem mundum esset infundendus. Imo, dicas Ausonium hancnon suspicari: neque enim insigni martyrum constantia, neque apostolorum Christi ac doctorum præceptis, neque claris de philosophia controversiis movetur. Quod si vere Christianam fidem est professus, vix ex ipsius operibus semel investiganti decerni potest. Attamen, quam inflatus esset, quam illustres voces prompsisset, si, relictis Jove ac Venere, Christum magistrum vere et fideliter fuisset secutus ! Quod confirmavimus, cum de litterario Ausonii cum P. M. Paulino discipulo certamine disseruimus. Hic, etsi poetico quidem œstro minori præditus, tamen magistro superior. Quid? Quod Christi religio, quæ alit, incendit, effert, vim scriptis adjecerat. Item, mox Prudentius, et posterius Sidonius ac Fortunatus materiam, Ausonio ignotam, in illa reperient.

Quod si novam, quam Christianismus muniverat, viam nollet vel nequiret capessere, tamen paulo majora quam quæ cecinit meditari poterat. Imperii romani, quod barbaris undique prementibus mox diruendum erat, aut antiqui deorum cultus, quem altera religio penitus deturbabat, spectaculum sane id erat, quod poetam ad carmina, sublimitate sententiarum ac lepore numerorum præstantia, condenda valeret impellere. Inde, non multo post, Rutilius Numatianus sensuum nobiliorum splendorem, in multis Itinerarii locis, quibus maxime prosequitur Romæ laudes, obtinebit. Ausonius vero, ut rerum commutatione, quam Christianismus molitus est, haud permovetur, sic Romæ illiusque imperii eversioni omnino incuriosus adest. A barbaris Galliæ minantibus non terretur; quibus enim Rhenus in perpetuum obstabit :

Accedent vires quas *Francia,* quasque Chamaves,
Germanique tremant : *tunc verus habebere limes.*

Ausonius ergo nullam munivit novam rationem, et cum in sententiis novitatem nollet invenire, illam e nimia rei metricæ consectatione petivit. In ænigmata, acrostichidesve, aut ex imparibus facta versibus carmina, vel versus in voces quasdam desinentes, atque iisdem incipientes, in illas inanes præstigias orationisque contortiones, vim nativam exercuit.

In imperatoribus enim et qua nitebantur potestate prædicandis magis distinebatur, quam ut excelsius sentiret. Assentationum vero studium animæ servitium cordisque fœditatem indicat. Nam poeta sui juris debet esse, nec musa ullius imperio et arbitrio subjici. Ausonius porro, qui haud semel latinum sermonem, omnium ferocissimum ac maxime libertati laudandæ aptum, deformibus obsequiis accommodavit, necesse erat ut degeneraret, atque ex illius oratione, turgida modo et exaggerata, potius dicendi concinnitas quam dives ingenii vena flueret.

Hic tamen plausus e delibatis viris extorsit, quorum judicium obtusum domitæ difficultatis fallaciis modo movebatur; has vero laudes apud posteros non obtinuit, qui ipsum peritum quidem elegantemque carminum conditorem existimaverunt, illi autem hoc poetæ nomen, quod, ut jure M. Tullius affirmat, « quasi Dei aliquo dono ac munere commendatum nobis esse videtur », minime concedent.

CONCLUSIO.

Ea sunt quæ de re proposita disseruimus.

Quæ vero omnia si ad summam contrahere voluerimus, tota Ausonii nostri repetita vita, inferre licebit quid in Gallia, quarto sæculo, valeant litteræ, quomodo bonæ excitentur artes, quam vim præcipuis ingeniis scholæ ubique diffusæ suppeditent, cum rhetorum simulque poetarum ille de quo diximus princeps et quasi exemplar emineat. Nec minus aperte intuentibus apparebit qua incredibili confusione facta utraque tum Paganorum, tum Christianorum, societas sese iisdem inserat negotiis, et necessitate quadam plurimos, sive in agendo, sive in dicendo, lubrica et incerta mente provehat homines. Quod certe his temporibus, quibus a veteri disciplina, jamjam deturbata et humi prostrata, ad novos mores novamque excogitandi rationem transitur, evenire solet. Nec aliud sane gestis dictisque spectaculum offert Ausonius. Illud præterea ab eo accepimus animadvertendum, quanto plura sibi assequerentur in studiis doctrinæ atque humanitatis versati, quam rei militari dediti. Nec parva inde gallicis litteris evasit gloria: docendi enim munere, sibi ad omnes honores, etiam ad

consulatum, viam stravit Gratiani præceptor, amplissimæque dignitates et innumera beneficia benigne liberaliterque in Ausonium effusa, quam apud imperatorem suumque disciplum esset acceptus, facile testantur.

De auctoris vero nostri religione et probitate fuse lateque disputavimus. Multa enim congessimus argumenta, quibus jure contendatur Christianum exstitisse Ausonium, maleque fulta demonstretur adversariorum sententia. At certe, etsi rem in disceptationem venire posse neutiquam arbitramur, fatemur tamen plurima in poetæ Burdigalensis operibus occurrere lasciva et procacia, quæ minime Christianum decent, quin etiam (adeo in turpem verborum obscenitatem turpe sæpius delabitur carmen) profanam redolent religionem. Quæ vero omnia, ut jam diximus, cum longo veterum commercio instructus et imbutus, haud aliter ac eorumdem temporum æquales, priorum, Virgilii scilicet, Terentii, Horatii, Ovidii, aliorumque et rem usurpare mentemque exhaurire et quasi ebibere solitus esset Ausonius, sive in ætatem luxu diffluentem, sive in poetam et rhetoricæ disciplinæ doctorem, formulæ priscis fabulis consentaneæ minime oblitum, potius redundare videntur.

Quod si vero dubitari possit an Christianos mores penitus infusos habuerit, pro certo ponendum est miram in parentes, natos, sanguine conjunctos, amicosque, pietatem et eximium amorem in Ausonio viguisse ; quod non modo ex operibus, epistolis scilicet et carminibus, sed e vita attente revoluta fas est recognoscere. Unde illud efficitur ut concludamus nobis in promptu esse, quo Ausonius animum bonum et benignum sortitus ab objecto crimine eximatur, ipsique credatur dicenti :

Salva mihi veterum dum regula morum,
Ludat permixtis sobria Musa jocis.

Atvero ex diversis Ausonii scriptis singulatim consideratis intellectum est, quæ in eo præsertim laudanda, quæ reprehendenda, quas singulares exhibeat virtutes, in quæ deveniat vitia, quæ prioribus imitando subripiat, quæ emittat nova, quo denique dicendi genere aliena ornet et propria.

Inprimis, si jam judicata memoria tenemus, nullam aut fere nullam inveniendarum rerum laudem Ausonio tributam voluimus, cum materiam plerumque, jam a multis tractatam, poetarum ingenio expolitam et variatam, acceperit, et fabulas quotidiano usu tritas nec explicatione, nec exquisita ornamentorum copia sit interpretatus. Quam vero parum limatum et subtile in deligendo sibi argumento Ausonii fuerit judicium, non est cur alte repetatur. Ipsum tantummodo detur, mirifico antiquitatis studio captum, ex hoc puriori fonte hauriendum, doctrina et exemplo, summa omnium utilitate, prædicasse, excellentissimoque ingenio instructos viros in honore rursus posuisse.

Poetæ tamen solertia et acumen in hoc spectari potest, quod naturam facilius veriusque describendo imitatur. Testis est enim *Mosella*, quod carmen potissimum haud mediocris poetæ merito esse videtur.

Nemini profecto libet in prædictis operibus inquirere hanc simplicitatem, quæ arte perfecta dignitatem servat et gravitatem, verborumve et sententiarum pondus. Multa enim in iis irrepsere affectata, inflata, duriter enuntiata, parum castigata, et ad hæc, quædam ita prava et deformia, ut nihil jejunius, nihil sterilius effingi possit.

At quid ultra progrediamur opus est ? Summa erit hæc, ut illud statuatur, si Paulino (carm. X) ægre consentiamur de Ausonio sibi conjunctissimo exclamanti :

. . . . . Vix Tullius et Maro tecum
Sustineant æquale jugum.....,

saltem cum J. Scaligero libentius admittendum : « Ausonium nostrum poetam post tempora Domitiani eruditissimum, et in cujus lectione nemo operam suam luserit. »

1. In notis ad catalecta.

FINIS.

Vidi ac perlegi.

Claromonte pridie Kalend. sept. ann. MDCCCLXXXIV.

Facultatis litterarum in academia decanus,
CHOTARD.

Typis mandetur.

Academiæ Claromontensis rector,
J. BOURGET.

ADDENDA.

I. De Ausonii diei natalis ac mortis anno.

Etsi anni, quo Ausonius in lucem editus sit, minime certiores sumus, tamen poetam illum anno, quem indicavimus, natum fuisse manifesto apparebit, si quæ tum de ipso, tum de patre Julio, tum de Arborio avunculo, tum de Sabina uxore, tum de scriptis enarrat diserte, in memoriam nostram revocabimus; ceterum, qua de re C. Schenkl uberius disputavit. Ex iisdem fontibus Nostri mortis anni conjecturam duximus [1].

II. De Ausonii christiana religione.

C. Schenkl, in primo editionis suæ indice, quos retuli versus:

1. Schenkl, *op. cit.*, VI sqq., XVIII.

Et verum vita cui carius : unaque cura
Nosse Deum....

cum Sancti Joannis Evangelii cap. XVII, v. 3, atque ejusdem epistolæ I cap. V, v. 20 (« Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. — Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum... ») jure contulit.

Rursus idem Gratiarum actionis precationem, quam et ipse notavi : « Æterne omnium genitor,... qui templa tibi et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti... » epistolæ I beati Pauli ad Corinthios cap. III, v. 16, et cap. VI, v. 19, atque ejusdem ad eosdem epistolæ II cap. VI, v. 16 conferendam pariter censuit. (« Nescitis quia templum estis Spiritus Sancti ? »)

Præterea, his adscriptis jam versibus, quibus, mea quidem sententia, christiana Ausonii religio demonstratur, hos forsan addere licet, quos ex epistola XVI ad Probum (vv. 66 et 94) excerpsi :

Dic me valere et vivere,
Dic vivere ex voto pio...,
Sanctis precantem vocibus
Ut quem....
— Adde votum, quod pio
Concepimus rei Deo.

Tum, Ephemeridis parecbasis v. 7 :

Pateatque fac sacrarium

cum epistolæ XXIII v. 91 :

Celebrique frequens ecclesia vico.

componas.

Tandem, ut jam adnotavi, Paulini Pellæi, Ausonii nepotis, *Euchariston* sententiam nostram maxima vi confirmat. In

prooemio tamen editionis operum Nostri, quæ in gallicum sermonem mutanda accuratius curavit, Corpet (I, p. 14, n. 1) Paulinum illum primum gentis suæ Christianum fuisse declarat, quod non, nisi jam ætate provectus, baptizatus fuit, dein quod ejus parentes prohibuerunt ne se puerum Christo voveret. Si vero *Eucharistion* attentius legeris, brevi tempore, credo equidem, Corpet tota via errasse senties.

Primo enim, Paulinus Pellæus nequaquam se, natu grandiorem, baptizatum asserit. Quod probaturus, Corpet vv. 476 sqq. profert, qui minime conjecturam illam explicant :

Post autem exacta jam trieteride quinta,
Rite recurrente statuto tempore Pascha,
Ad tua, Christe Deus, altaria sacra *reversus*,
Te miserante tua gaudens sacramenta recepi,
Ante hos ter decies super et bis quatuor annos.

Qui versus enim Paulinum, eo de quo agitur tempore, ad Christum Deum, quem antea noverat adoraveratque, fuisse reversum, ut, jam ei soli addictus, in illum omnes mentis cogitationes cordisque sensus verteret, aperte significant, nedum hunc sacra baptismatis unda duntaxat tum temporis lautum exhibeant. Namque a duodevigesimo anno ad trecesimum quintum (vv. 176, 476), a christianis legibus discedens, vitam inter delicias libidinesque egit, ea sola mente distentus, ut ipsi « læta domus magnis floreret abundans » divitiis (v. 435), et « compta spatiosis ædibus, et diversa anni per tempora jugiter apta, mensa opulenta, nitens, plures juvenesque ministri » (v. 206). Calamitatibus vero innumeris ea ætate confectus, opes istas « terrenas atque caducas » tandem cognoscit (v. 431), et jam « perpetuo mansuras » quærit. Errores igitur confes-

sus, ad Deum revertitur, et Ecclesiæ sacramenta recipit : nisi vero jam antea Christianam religionem fuisset amplexus, quo modo ad altaria sacra reverti potuisset ægre intelligitur.

Jamvero, qui præscribuntur versus Paulinum, a primis incunalibus, baptisma, curantibus parentibus, accepisse probant. Cum enim, in carminis præfatione, se scilicet totam vitam Deo debere meminerit, « totius quoque vitæ suæ actus ipsius devotos obsequiis » exhibet : quas certe voces non intellexeris, si Paulinus priorem atque meliorem vitæ partem, Christi ignarus ac falsorum numinum fautor, consumpserit.

Versibus vero 55 sqq., Paulinus, ultimam pueritiæ memoriam revocans, nihil libentius recolit, quam « pietatis opus studiumque insigne parentum, » qui sese ipsius ad bonos mores informandi peritissimos præstitere ; quo quidem verbo senex, jam Christi solius studiosus, nihil aliud nisi Christianorum parentum curam notare voluit.

Antea igitur quam e pueris excessit, inter romanæ ecclesiæ alumnos ab ipso genitore adscriptus fuit : quin imo, miror quod illud quibusdam in dubitationem venire potuerit, cum vv. 94 sqq. idem diserte dicat :

> Consona si nostris primo sub tempore votis
> Hac in parte etiam *mansissent* vota parentum
> Perpetuo ut puerum servarent me tibi, Christe...

E quibus enim verbis manifesto sequitur, Paulinum ab infantia ejusque parentes Christum ita coluisse, ut omnibus simul mens ea infuerit, nempe illum puerum Deo perpetua devovendum religione. Quod si vero postea Paulini procreatores ab incepto destituti fuerunt, causa immu-

tatæ voluntatis, non certe Christianæ religionis odium, sed potius nimia qua parentes natos circumdare solent charitas.

Denique, locis quibusdam aliis, scilicet vv. 106, 157, 230, 508, idem sine controversia adeo confirmatur, ut fidenter queamus concludere, Paulinum suosque per totam vitam Christianos exstitisse, unde quoque deduci potest Ausonium, eorum auctorem, eidem religioni fuisse addictum.

Nec a sententia illa deturberis, quod Noster versus Christianos apud aulam solum condiderit ; namque et ibidem minime christianos mores redolentia carmina, scilicet consulis designati aut creati orationes, modulatus est; tum, indignans haud semel negat se, assentatoris modo, versus scripsisse, ut in Centonis præfatione, rursusque in epistola XVII ad Symmachum.

Ad summum, Noster igitur Christianus fuit, devotiori vero veteres poetas illorumque fabulas, ut jam antea libenter dixi, cultu veneratus est. Quod propositum non planius explicabo, quam si quædam excerpta e litterata juxta atque arguta epistola gratus referam, quam eruditissimus gravissimusque vir, R. Dezeimeris, quem auctorem jam sæpius professus sum, mihi, cum ego eum quæ ista de quæstione sentiret ipse interrogassem, studio benevolo rescribere dignatus est :

« Loupiac, le 25 décembre 1884.

».... Lorsque nous nous posons cette question : « Ausone était-il payen ou chrétien ? » les deux termes de l'alternative présentent un sens net et absolu. Mais ce sens résulte, en réalité, de ce qui s'est passé depuis Ausone, pendant quatorze ou quinze siècles de civilisation chrétienne. Ce

long temps a certainement modifié la nature des idées, la valeur des qualifications : or, la vérité ne s'accommode guère d'une exposition où les expressions essentielles ont cessé d'être précises et appropriées. Au IVe siècle, les choses n'étaient pas aussi tranchées que le disent pour nous ces mots de « payen » et « chrétien » ; et il est probable que, lorsqu'on n'était pas un Augustin ou un Paulin, on croyait conciliables et on conciliait volontiers les habitudes, les vieilles pratiques du passé et les nouvelles doctrines, auxquelles le consentement d'une bonne part de l'humanité n'avait point encore conféré la force imposante et exclusive de dogmes. Le culte chrétien lui-même n'a pas été sans faire d'abord des emprunts à certain formalisme antérieur, ou sans tolérer, du moins, des simulacres qui tenaient certainement au paganisme.

» En fait, je crois qu'Ausone a dû être officiellement chrétien. Je dis officiellement, parce que sa situation auprès d'empereurs favorables au Christianisme, parce que sa condition personnelle en Aquitaine, avant et après son consulat, impliquaient eette déférence extérieure, pour ainsi dire politique, à l'ordre établi. Il dit quelque part, dans deux lettres à Axius Paulus, que les solennités de la Pâque lui font un devoir de rentrer à Bordeaux. Mais il est probable qu'il allait là comme beaucoup de fonctionnaires de nos jours vont à la messe du Saint-Esprit.

» Au fond, sa vraie religion, c'était le culte des lettres, et, comme ce culte avait des liens étroits avec toute la mise en scène de l'Olympe payen, il devait éprouver quelque humeur à voir s'en aller des dieux qui lui semblaient être si commodes, si nécessaires à un admirateur, à un imitateur fervent des poètes illustres qui avaient

créé ces Dieux mêmes et les riants attributs de ces Dieux.

» Il dut être, en effet, très dur pour des passionnés des lettres, comme il y en avait tant alors, de briser avec un passé auquel semblait indissolublement liée la gloire de leur langue, et qui avait été l'objet des études de leur vie entière. Et il fallait avoir l'ardente foi d'un Saint, comme Paulin, pour brûler d'un coup ce qu'on avait toujours adoré. On dit qu'il distribua son bien aux pauvres : pour un homme opulent, fils de gens opulents, faire cela est, assure-t-on, aussi difficile qu'il l'est pour un chameau de passer par le trou d'une aiguille ; eh bien ! plus difficile encore, peut-être, était pour un lettré délicat (et Paulin le fut, on le sent et on le voit, bien qu'il s'efforce de le dissimuler), plus difficile était de rompre avec son propre esprit, et de jeter à l'oubli ce qui auparavant avait été le charme souverain de son intelligence.

» Ausone n'était pas de ceux qui comprennent et approuvent de tels sacrifices. Il ne les comprit pas, et peut-être en voulait-il au fond, à ce Christianisme impérieux et fort, qui lui enlevait ses amis de prédilection et prétendait lui contester la valeur de tout ce qui meublait sa mémoire d'érudit. Il était chrétien de forme, je le crois, mais il ne voulait pas cesser d'invoquer encore et toujours, au moins dans ses vers, les dieux d'Homère et de Virgile.

» Quand Ausone mourut, les Barbares arrivaient. On dut songer dès lors à autre chose qu'à cette culture élégante, raffinée, qui avait mis un obstacle durable à la vulgarisation du Christianisme chez les riches. Au lieu des libres jouissances de l'esprit, on eut à souffrir tous les déchirements de l'âme : c'était une meilleure préparation à la foi ; et le petit-fils d'Ausone, Paulin de Pella, qui avait

commencé la vie en épicurien, la finit en pénitent. Le grand-père, heureux et honoré à cause de ses talents, avait été chrétien du bout des lèvres : le petit-fils, torturé par les plus terribles épreuves, n'eut d'autre consolation, à la fin de ses jours, que de le devenir du fond du cœur. »

Quid vero justius aut rectius de hac disputatione concludi possit ?

III. An Ausonii quædam opera ab illo vere condita sint.

Hæc pauca de quorumdam Ausonii operum auctoritate subjungenda existimavi.

1. Ephemeridis oratio. — Primum, Ephemeridis oratio cum Ausonianum carmen a nonnullis non credatur, hanc opinionem refellendam puto.

Jam, juxta C. Schenkl editionis procemium (pp. XIV, XXXII), carmen illud in « duobus codicum generibus, quibus Ausonii opuscula ad nostram memoriam pervenerunt », ac præsertim in noto Insulæ Barbaræ codice ita reperire tibi licet, ut illa manuscriptorum omnium congruentia orationis hujus auctoritas mirum in modum comprobetur.

Tum, si opusculi voces aliis certorum Ausonii operum vocibus compones, ibidem verba quædam a Nostro solo usurpata invenies, quæ dubitationem omnem cuivis viro æquabili tollant; inter hæc notabis:

adoptivus, (Ephem. orat. v. 19), quoque legitur in Cæs. XXII, 2; Cent. præf.; Epist. XI, 21.

libamen,	v. 45	—	Id. X, 444.
salutifer,	v. 57; salutiger in multis locis.		
anticipator,	v. 19	—	in Id. XIV.
vegetator,	v. 16	—	in Id. XIV.
rutilus,	v. 12	—	in Id. XIV.

Idyllium quidem XIV (Rosæ) et Ausonii opus negatur; illud tamen animadvertendum, substantiva verbalia in *tor* desinentia apud Nostrum frequentissima.

Quod si nunc veniamus ad rem metricam, in hoc carmine easdem metricæ artis leges ac mutationes, quibus Ausonius uti solebat, reperiemus. Ita, hexametri exitus vel quinquesyllabus, vel in binas voces monosyllabas, vel in pyrrhichium cum spondeo, quibus omnibus nævis tam sæpe Nostri carmina vitiantur, in vv. 9, 52, 59, 76, cernitur. Item, elisio in quinto vel primo pede, vv. 14, 40, 61, 65, 23, 80 exhibetur; quatuor elisiones in uno versu 52 notantur; cæsuræ leges in vv. 3, 34 52, 65, 77 non servantur. Ab omnibus vero hujusmodi vitiis Ausonium non alienum fuisse jam indicavimus.

Tandem, Paulinus Pellæus , *Eucharistom* condens procemium, cum illustres, qui Ephemeridem gestorum suorum memoriæ jam tradiderunt, viros memorat, avi quidem Ephemeridem ante oculos certe habet; et cum pœnitentem vitam jam agit, sanctasque voces modo fundit, ejusdem avi orationem quamdam sine dubio significat. Quod infitiari non licuerit, si v. 31 Ausonianæ orationis :

Da, Pater, invictam contra omnia crimina mentem,

v. 602 Eucharistom conferatur :

Da, precor, intrepidam contra omnia tristia mentem.

Paulinus enim ad verbum avum imitando expressit.

Quibus argumentis perspectis, Ephemeridis oratio ab Ausonio sine controversia condita fuit.

2. Versus paschales. — Item, de Paschalibus versibus ob easdem causas dijudicabo ; quare de hac re pauca quæ sequuntur tradam.

Qui vel per transennam hoc idyllium Ephemeridisque orationem perlegit, hæc duo opuscula inter se arctissimo cognationis quodam vinculo conjuncta, atque ab eodem auctore edita statim comperit. Eædem enim fere voces aut sententiæ in alio atque in altero ita funduntur, ut ab una manu proficisci tantum potuerint. Confer, verbi gratia, vv. Pasch. 1, 7, 12, 14, 16, 20, 21, 31, cum Eph. orat. vv. 27, 38, 35, 33, 9, 48, 16, 80. Cum igitur ab Ausonio orationem scriptam demonstraverimus, necesse est ut quoque Paschales versus ille ediderit. Idem de re metrica haud ægre sequitur : vide vv. 23, 29, 11 (versus spondaicos, brevem syllabam consonanti terminatam in arsi pro longa).

3. Rosae. — *Rosæ* in editionis appendice, ut non ab Ausonio conditæ, a Schenkl ponuntur (p. 243). Etsi nos controversiam dirimendo impares fatemur, tamen hæc sedulo indicabimus :

Nonnulla *Rosarum* verba, propria Ausonii, haud semel leguntur, verbi gratia : æstifer, v. 4, Epist. XXV, 100. — Anticipare, Ephem. orat. 19, — quadrua, v. 5, Ordo nob. urb. XIV, 12. — Vegetare, v. 6, Eph. orat., 16. — Rutilare, v. 33, Per. in Odyss., VIII, 2, XVII, 2. — Rutilus, v. 39, Eph. orat. 12.

Iterum, grave e re metrica capitur argumentum, cum exitus versus, vel quadrisyllabus, v. 11, vel quinquesyllabus, v. 9; — aut elisio in quinto pede, vv. 5, 27, in ultimo, v. 22; — aut cæsura non servetur vv. 17, 24, 28, 34; — virgŏ, v. 49, Id. XI, 40; Epigr. 64, 104, 105, 106 legatur. Quæ autem omnia cum metricis Ausonii moribus aptissime congruunt.

4. Versus rhopalici. — Versus vero rhopacili, quos ipse Ausonii esse negavi, hæc verba, minime a Nostri genere dicendi aliena, continent : auxiliatrix, 21 ; auxiliator, Per. in Il. X, 7 ; XIV, 3 ; XV, 6. — Irrequietus, 22 ; irrequies, orat. Eph., 16 ; Technop. V, 5 : VI, 11. — Participare, 35 ; Epist. XXI, 9 ; Grat. act. ; orat. cons. des., 35 ; parent. XV, 11, 16.

5. Eclogarium. — E variis quæ Eclogario continentur carminibus plura Schenkl editioni suæ, juxta accuratissimam codicum recensionem, inseruit, scilicet : De ratione libræ, p. 154 ; de ratione puerperii maturi, p. 155 ; ratio dierum anni vertentis, p. 8 ; de nominibus septem dierum, p. 9 ; quid quoque die demi de corpore oporteat, p. 17 ; de mensibus et quattuor anni temporibus, p. 14 ; de mensibus monosticha, p. 10 ; disticha de iisdem mensibus, p. 10 ; quoteni dies sint mensium singulorum, p. 11 ; de tribus menstruis mensium, p. 11 ; quo mense quotæ nonæ vel Idus sint, p. 12 ; quotæ Kalendæ sint mensium singulorum, p. 12 ; in quo mense quod signum sit ad cursum solis, p. 13 ; a solstitio in æquinoctium ratio, p. 14 ; de feriis romanis, p. 15 ; de lustralibus agonibus, p. 14 ; de locis agonum, p. 14 ; de auctoribus agonum, p. 15 ; quod iidem, qui sacri agones sunt, et funebres ludi habeantur, p. 15. — Ita, de mensibus alia monosticha et tetrasticha modo rejecit ; signa vero cœlestia, quæ et non edidit, ab omnibus haud difficulter Ausonii esse negantur.

Præterea, hæc de carminum illorum sermone et re metrica addi possunt.

In plerisque multas reperimus voces, quæ ab Ausonio

peculiarius adhibita sunt, ut : trigonum, de rat. puerp. mat., 40; Griphus, 50. — Vertigo, de nom. sept. dier., 3; Par. XXII, 13. — Radiatus, ibid., 5; Grat. act.; Griph., 17. — Salutiger, ibid., 10; orat. cons. des., 26; Epist. XXIV, 4, salutifer, orat. Ephem., 57. — Monostichum, de mens. et quat. ann. temp.; Cæs., I, 3; Epist. VII, 4. — Opimare, de mens. mon., 9; Epist. VII, 2; Epist. XV, 2; Id. X, 105. — Cognomentum, de trib. menst. mens; Grat. act. — Trihorium, a solst., 5; Id. X, 87; Epist, IV, 62. — Harena, de fer. rom., 34; Ephem. in fine, 7; Cæs. XVIII, 1.

Vocales vero quasdam in vocabulorum exitu, ut mos ipsi erat, corripuit : nonagintă, rat. dier. ann. vert., 1; duodetrigintă, quot. dies, 7; ambigŏ, de mens. dist., 10; ergŏ, quid quoque die, 3. — Contra autem *e* brevem produxit in novē, dist. de mens., 1. — Haud semel hexametri exitus monosyllabus (de rat. lib. 10; rat. dier. ann. vert., 1; de nom. sept. dier., 5, 11; quid quoque die, 3), — quinquesyllabus (rat. dier. ann. vert. 13; quid quoque, 9). — aut quadrisyllabus (rat. lib., 6; quid quoque die, 5; de mens. mon., 2; de mens. dist., 6). — Sæpius elisionis (de rat. lib., 6, 26, 27, 29; de rat. puerp. mat., 3, 15, 19; rat. dier. ann. vert., 3, 4, 9; quid quoque die, 3, 4, 5; de mens. et quat., 5; de mens. mon., 2; de fer. rom., 21, 27), aut cæsuræ (de rat. lib., 12, 18; de rat. puerp. mat., 21; rat. dier. ann., 2, 10; de nom. sept. dier., 5; de mens. et quat., 5; de fer. rom., 31) leges omisit.

6. Idyllia xv sqq. — Idyllia XV, e græco, pythagoricon, de ambiguitate eligendæ vitæ; XVI, de viro bono; XVII, est et non; XVIII, de ætatibus animalium, et XIX, mo-

nosticha de ærumnis Herculis, a C. Schenkl numeris XXIX-XXXIII editionis notata sunt; Musarum vero inventa et munera non edidit.

De quorum sermone et re metrica hæc adjiciemus : protuberare, XVI, 10; cent. nupt. præf., 36, — cuneatus, XVII, 11; ord. nob. urb., V, 5; Lud. sept. sap. Prol., 21. — Dialectica, XVII, 17; Techn., II, 6. — Fulgeribus, XVII, 19; Cup. cruc., 18; Eph. I, 12. — Alipes, XVIII, 4; Griph., 14. — Exitus vero quadrisyllabus in XV, 37, 2; XVI, 8; XVII, 15, 10; XVIII, 9; monosyllabus, XVI, 16, 23; XVII, 9; quinquesyllabus, XVII, 24; cæsuræ, XV, 18, 14; XVI, 23; XVII, 4, 9, 16, aut elisionis, XV, 10; XVI, 17, 21; XVII, 3, 4; XVIII, 8, 9; XIX, 7, leges non servatæ.

7. Periochae In iliadem et Odysseam. — Opusculum illud a Schenkl in appendice, quod uno codice traditum, fuit positum. De hujus sermone illa notavi : Crudescere, Il., 4, Od., 18; Par. XI, 10. — Auxiliator, Il. 9, 13, 15; auxiliatrix, vers. rhop., 21. — Cantilena, Od. 1, 12; Eph. I, 21; Epist. VII, 16; Bissula I, 15. — Radiatus, Od., 3; Grat. act., Eclog.; Griph., II, 17. — Rutilare, Od. 8, 17; Rutilus, Eph. orat., 12.

8. Sententias septem sapientium, atque epigrammata nonnulla Schenkl in appendice quoque reposuit.

IV. In quo ordine novissimæ Ausonii ad Paulinum litteræ ponendæ sint.

Quo ordine quatuor ab Ausonio ad Paulinum, Christo soli jam deditum, missæ epistolæ sint ponendæ valde dis-

putatum fuit. Cum autem unam ex illis a Paulino acceptam, nobis vero non traditam, hancque simul cum duabus aliis ab eo receptam, denique alteram, cujus initium verbo « Discutimus » designatur, novissime modo ad eum pervenisse inter omnes constet, is est vulgaris ordo, ut in primo loco quam prædixi epistola, tum in secundo litteræ quarum hæ primæ voces « Proxima quæ nostra tibi, » tum in tertio litteræ quæ desiderantur, dein in quarto « Quarta tibi », instruantur. Quem ordinem, inter multos, doctissimi viri Ebertus [1] et Peiperus [2] servandum, Schenkl vero [3] non tenendum existimavit; qua autem de re ab eo dissentiam, ut eam in Eberti et Peiperi opinionem.

Schenkl enim, cum suspicetur « ex epistolis Ausonii unam non in Paulini venisse manus, alteram, quam ille acceperat, temporum injuria nobis ereptam esse », sic litteras disponit, ut primum has duas epistolas, quæ hodie deessent, tum « Proxima », dein « Quarta » collocet; altera vero « Discutimus » ab Ausonio tantum edita fuisset, cum is a Paulino responsum accepisset carmen, quod ab his verbis incipit « Quarta redit duris », ut quintis litteris amicum a consilio deturbare iterum conaretur. Ausonius enim, ut concludit Schenkl, si epistolam « Discutimus » primum scripsisset, « statim in amicum cessantem tam acerbis dictis » non invectus fuisset « quorum duritatem Paulinus, dum amico respondet, tam graviter conqueritur », neque « intermissum esse ab amico litterarum commercium » potuisset asserere, potius vero accepto tan-

1. Allegemeine Geschichte der Litteratur des Mittelalters in Abendlande, I, 284 sqq.

2. *op. cit.*, 327.

3. *op. cit.*, XI sqq.

dem responso, hanc fovisset spem, se iteratis fortioribusque verbis id consecuturum esse, ut Paulinum amicis Musisque redderet.

Quæ autem argumenta ad probandum infirma nobis videntur. Nam Ausonius, si litteras « Discutimus », Paulini carmini responsurus, misisset, certe hunc blandis dictis mulcens, eum a sententia destituere leniter fuisset aggressus, nedum eum aspere tractaret; at saltem, rationes, quas Paulinus ad novum vitæ genus comprobandum deduxerat, refellendas curavisset, ut illi hoc faceret persuasum, nempe ipsi, Burdigalam redeunti atque apud amicos commoranti, facultatem Deo serviendi permittendam. Quod vero non modo non tentavit, sed etiam, etsi Paulinus in responso Ausonium graviter objurgavit quod ille ipsum impium appellavit, et quam incolit regionem jocose derisit, Musasque ut revocarent vatem obsecratus est, tamen in litteris illis tantum iisdem artibus usus est, ad quas jam confugerat et per quas irrito incepto abiverat! Quo quæso modo Noster, cui admirabile inerat acumen ingenii, tam magnopere errasset, ut solum ea repeteret quæ jam ad nihil reciderant? Adde quod, Paulinus multis locis cum tres amici litteras imitatus esset, credibiter Ausonius eamdem abhibuisset artem ad Paulini mentem movendam, amicique verba ad verba reddidisset; nihil vero commune, nisi inane unius urbis nomen (v. 88 Aus., — v. 232 Paul.), duo carmina inter se habent. Tandem Schenkl de duabus litteris, ab Ausonio missis ad Paulinum, non autem posterorum memoriæ proditis, omnino gratuitam, mea quidem sententia, facit conjecturam.

V. Quædam ad philologiam pertinentia.

Esti non hujus operis est Ausoniana scripta purgare, tamen præcipuas, quas novissimis temporibus de dubiis codicum lectionibus eruditissimi viri animadverterunt, emendationes notare haud forsan ingratum erit.

Inter omnes Nostri operum editores maxima de XXX epigrammatis titulo controversia orta est, quæ nondum hodie exsolvitur:

Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

In vulgaribus editionibus, hic titulus est: « *Myobarbum* Liberi Patris signo marmoreo.... » Quid sibi velit inscriptio illa, atque imprimis « myobarbum », inter auctores non constat; quare nonnulli verbum illud diversis modis scripserunt, ut aperta titulo præberetur significatio. Schenkl enim (p. 204), post Souchæum, « mixobarbaron » vult; Dezeimeris vero (1876, p. 102), « in ὑπόβαθρον » e græco sermone ductum. Quod acutissimus vir ille ex inspectis codicum litteris merito suspicatus est; nam titulus per argutam hanc conjecturam manifestus apparet, cum verba, quibus contexitur, in Liberi Patris marmorei signi basi sculpenda essent.

Tum, versus 2 Parentalium carminis III variis rationibus legitur, a plerisque:

Dicere sed rea fit, tertius Arborius;

a Schenkl:

Diceris id re fit....;

a R. Dezeimeris :

Dicier at renuit.....;

a C. O. Axt :

Diceris, et rea fit....

Quæ Axt censura mihi probanda videtur, quæ simul et codicum litteras fere ad litteras reddat, disertamque patefaciat sententiam.

Iterum, de versu 26 Par. posterioris carminis magna grammaticis impedimenta occurrerunt. Hic enim vulgo recitatur :

Saucius, atque uno lumine cassus eras;

a Schenkl autem :

Saucius, hoc lævo....;

a Dezeimeris vero :

Saucius, inde tuo....;

ab Axt tandem :

Saucius, hocque tuo....

Duæ postremæ animadversiones sensum manifestum efficiunt, Dezeimeris vero emendationem malo, quæ verborum conjunctionem magis illustrat.

Nunc ad idyllii III, de Heriodolo, præfationem procedamus, cujus verba « his versibus lusit *Luciliano stilo* » criticorum patientiam sæpius etiam tentaverunt. Quorum loco Dezeimeris « Ἐν κυανῷ στύλῳ » legendum audacter censet. Cui certe plane assentimur, cum sententiam

firmissimis argumentis subtiliter confirmaverit, indeque verborum contextus, quem antea nullus probabili sensu approbare poterat, nunc illustris dilucidusque fiat.

Jamvero versum 41 epist. X ad A. Paulum, ob græcam vocem rursus incertam, nonnulli diversis modis interpretando explanaverunt.

Nobiscum invenies κατενόπλια si libet uti...,

Schenkl mutavit in :

Nobiscum invenies κατεναντία...,

et Dezeimeris in :

Nobiscum ut venias κατ' ἐνώπια...

Uter, Schenklne an Dezeimeris, veram censuram dederit, ægre æstimetur. Eamdem enim significationem quam κατεναντία præbere potest κατ' ἐνώπια si κατενώπια legatur; sed dubito an « ut venias » admittendum sit, cum codices « invenies » exhibeant, ac sententia, a Dezeimeris explicata, haud fideliter hoc modo exprimatur, ac præsertim eadem verba « nobiscum invenies » in penultimo versu epist. VIII ad eumdem Paulum eodem sensu pronuntiata reperiam. Fateor tamen hæc verba « nobiscum invenies κατενώπια vel κατεναντία » non aperte posse intelligi.

Tandem, in epist. XI ad Paulum, quæ pedestri sermone fere tota conditur, pro « denique Dissonum, quem *Colonomon* existimo..., adcrevi.... ea quæ tibi jam cursim fuerant recitata, transmitto », — Schenkl (p. 169) legit : « denique Bisonum, quem + tolleno in existimo..., addere,.. transmisi ; » — Dezeimeris vero : « Denique Dissonum, quem χωλόνομον..., admovere,.... transmisi. » Hujusce lectione sententiæ sensus facile nobis explicatus videtur.

Hæc vero de materia illa sat erunt quæ recentissime philologi disputaverunt præcipua cognoscere cupienti; præterea tamen in op. cit. Schenkl, Dezeimeris et Axt conferre licet : Epigr. XX, 12 ; X, titul ; XCII, 1 ; CXVIII, 4 ; CXLII, 2 ; Idyll. II, 61 ; VII, ad lect., 5 ; Epist. II, præf., Epist. IV, 56, 98 ; Epist. XIV, 23 ; IX, 13....

I.

INDEX AUSONIANORUM OPERUM, CONSERVATIS NOTATISQUE TEMPORIBUS QUIBUS CONDITA FUERINT.

Ausoniana opera, si qua ætate fuerint condita attenderimus, in tres partes dividi possunt, prout Burdigalæ primum rhetoricen et grammaticen professor doceret, præterea vero apud imperatores deversaretur, denique, in patriam reversus, in otio consumeret vitam.

1. Carmina, cum noster professor esset, edita :

Epistola I ad patrem de suscepto filio. — (Ætas epistolæ hujus de Ausonii diei natalis ejusque uxoris mortis anno jure deducitur.)

Periochæ in Iliadem et Odysseam. — Quod si Ausonio sint tribuendæ, illæ quidem eodem tempore verisimiliter ea mente conditæ fuerunt, ut discipuli Nostri scriptis Homeri imbuerentur, nisi nepoti, ad cujus usum Id. IV et V scripta fuerunt, ut Epitaphia destinarentur.

2. Opera, cum Noster apud aulam deversaretur, condita.

Ephemeris. — (VV. 67 orat., 18 ult. carm.)
Id. I. Versus Paschales. — (VV. 25 sqq).
Id. VI. Cupido cruciatus. — (Præfatio.)
Id. XIII. Cento nuptialis. — (Præf.)
Id. XI. Griphus ternarii numeri. — (Præf.)
Id. VII. Bissula. — (Præf. — Passim.)
Epist. IV ad Theonem. — (VV. 1, 81.)
Id. X. Mosella. — (VV. 1 sqq., 425, 448 sqq.)
Epist. XVI ad Probum. — (VV. 21 sqq., 77, 95 sqq.)
Epist. XVIII ad Ursulum. — (V. 3.)
Id. II Epicedium in patrem. — (V. 46.)
Id. VIII. Precatio Ausonii, consulis designati. — (VV. 2, 29 sqq., 38 sqq., ult.)
Id. IX. Ejusdem precatio Kalendis januariis. — (VV. 1 sqq.)
Gratiarum actio. — (Passim.)
Præfatiuncula II ad Syagrium aut ad lectorem. — (V. 38.)
Epist. XVII ad Symmachum. — (Ausonius in Symmachi memoriam « fidem suam mentis atque dictorum, dum in comitatu degerent ambo », revocat.)
Id. IV. Ad nepotem protrepticus. — (VV. 93 sqq.)
Epigrammata quibus fastorum a se digestorum meminit. — (Præf.; V, 10.)
De duodecim Cæsaribus. — (Præf. vv. 1, 2, in consulatum cadere videntur, atque opusculum illud eadem mente quam superiora condendum fuit.)
Epist. II ad filium. — (Præf., v. 4.)

3. Opera, cum in patriam rediisset, condita.

Id. III de Heriodolo. — (Præf.)
Parentalia. — (IV, v. ult; IX, 9;...)
Commemoratio Professorum Burdigalensium. — (Præf. I, 11; V, ult. vv.; XVI, 1.)
Epitaphia — (Præf.)

Ordo nobilium urbium. — (XIV, vv. ult.)
Præfatiuncula ad Theodosium Augustum.
Epist. III ad Hesperium. — (VV. 3, 7, 11, villulæ cujusdam suæ mentionem facere videtur.)
Epist V-VII ad Theonem. — (V, 3 sqq., 16; VI, 1; VII, initio, se, « jam seniorem », opusculum illud retractavisse fatetur.)
Epist. VIII-XIV ad A. Paulum. — (VIII, 1 sqq.; IX, 9, 11; X, 12 sqq.; XI, vv. ult.; XII, 31 sqq.; XIII, 1; XIV, 1 sqq.)
Epist. XV ad Tetradium. — (V. 11.)
Epist. XIX-XXII ad Paulinum. — (XIX, in fine, senectutem suam memorat; XX, 3 sqq.; XXI, 25, 30; XXII, Præf.)
Id. V. Genethliacon. — (VV. 1 sqq., 13.)
Ludus septem sapientium. — (Pacato proconsuli dicatus.)
Id. XII. Technopægnion. — (Eidem dicatum.)
Epist XXIII-XV ad Paulinum (Christo soli deditum.)

— Idyllia vero: XIV, Rosæ; XV, de ambiguitate eligendæ vitæ; XVI, de viro bono: XVII, Est et non; XVIII, de ætatibus animalium; XIX, de ærumnis Herculis; XX, Musarum inventa; variaque carmina, quæ in Eclogarium vulgo rediguntur, cum Ausonio aliqua veritatis specie abnuantur, in indice illo non continentur.

— **Epigrammata** vero ægre suam quæque in ætatem referantur; aliquot tamen editionis tempus per se præbent, verbi gratia: I, de Augusto; II, de fera a Cæsare interfecta; III, IV, Danubius Augustos alloquitur; V, sub Valentiniani junioris signo marmoreo; VI, picturæ subditi, ubi leo una a Gratiano sagitta occisus est, — quæ certe, cum Noster apud imperatores maneret, edita sunt; XVIII sqq., de se et uxore, quæ, Sabina adhuc vivente, meditatus est; etc,etc...

II.

INDEX ALIQUOT SCRIPTORUM,
TUM LATINORUM, TUM GALLICORUM,
QUI AUSONIUM IMITANDO EXPRESSERUNT.

---

1. Scriptores latini, juxta C. Schenkl I indicem.

CLAUDIANUS. — In Eutrop. II, 430, imitatus est Mosellam, 139.
— De raptu Pros. II, 116, imitatus est eumd., 59.
— Carm. min. XXVI, 67, imitatus est Ord. nob. urb., 157.

ENNODIUS. — Epist. I, 2, imitatus est Epist. XVII, 27.
— Epist. II, 19, imitatus est Epist. XVII, 2, 12.
— Carm. I, 5, 27, imitatus est Epigr. IV, 1.
— I, 9, 146, imitatus est Rosas, 11.
-- II, 97, 4, imitatus est Epigr. XII, 1.

FULGENTIUS. — Myth. sqq, 19, imitatus est Centonem nupt.; Epist. XIX, 1.

PAULINUS NOLANUS. — Carm. IV, 1, 6, 8, 22, sq., XVII, 113, 59, XXIV, 222, XXXIII, 16, imitatus est Ephem. orat., 1, 64 sq., 59 sqq.; 84 sq., 5.

PAULINUS PELLÆUS. — Carm. Euchar.
— 14, imitatus est Orat. cons. design., 9, sqq.
— 16, imitatus est De nomin. sept. dier., 12.
— 44, sqq. imitatus est Ord. urb. nob., 146; de Hered., 26.
— 73, imitatus est Epist. X, 2.
— 113, imitatus est Præf. ad Syagr., 13.
— 233, imitatus est De ambig. elig. vit., 25.
— 278, imitatus est id., 35.
— 297, imitatus est Epitaph. 26, 5.
— 328, imitatus est De ærumnis Herc., 12.
— 602, imitatus est Ephem. orat., 31.
— 609, imitatus est Protr. ad nep. 28.

PRUDENTIUS. — Peristeph. IX, 23 sq., imitatus est Epigr. 114, 29.
— Psych. 475, imitatus est Cup. cruc., 49.

RUTILIUS. — I, 155, imitatus est Ord. nob. urb., 73.

SIDONIUS APPOLLINARIS. — Epist. V, 7, imitatus est Epist. XXIII, 31.
— VIII, 9, 22, imitatus est Epist XXII, 30.
— IX, 15, 49, imitatus est Prof. Burd. V, 16
— XXIII, 1, 11; 2, 94, imitatus est Epist. XI,3 ; Parent. VI, 31.

SYMMACHUS. — Epist. I, 7, 2, imitatus est Ephem. 1, 7.
— I, 8, imitatus est Mosell. 157, 211.
— III, 6, 1, imitatus est Epist. XVII, 1.

2. Scriptores gallici, juxta Corpet adnotationes.

Epigr. XI imitatus est MALFILATRE (*Narcisse*, ch. IV.)
— XVII imitatus est LA MONNOIE (*Géronte et Chloris.*)
— XXIII imitatus est AMYOT (*Une Mère lacédémonienne.*)
— XXXIX imitatus est MAROT, épig. 167 (*de ouy et nenni.*)
— XLII imitatus est MILLEVOYE (*Pallas et Vénus armée.*)
— XLVII imitatus est LA MONNOIE (*Portrait de Lavardin.*)
— LI imitatus est RONSARD. (*Portrait de Thomas.*)
— LV imitatus est MÉNAGE (*Anti-Baillet*, III, 135.)
RICHER (*le Miroir de Laïs.*)
VOLTAIRE. (id.)

— LVII imitatus est Voltaire (*la Vénus de Praxitèle.*)
— LXI, LXII, LXIII imitatus est Ronsard (traductions de l'*Anthologie.* — *la Génisse de Myron.*)
Veissier des combes. (id.)
— LXXVIII imitatus est J.-B. Rousseau. (Epigr. I, 8. — *Une maîtresse, comme on la veut.*)
— XCI imitatus est Bouhier (*Vénus à un amant.*)
— XCV imitatus est André Chénier (*Hylas.*)
— XCVII imitatus est Richer (*Narcisse amoureux de lui-même.*)

Epigr. CII imitatus est Fontenelle (*Daphné fuyant Apollon.*)
— CVI imitatus est Ronsard (*Vénus Anadyomène.*)

Parent. Præf. imitatus est Ronsard (Avant-propos de ses Epitaphes de divers sujets.)

Epitaph. III imitatus est Ronsard (*Ajax.*)
— XXVIII imitatus est Ronsard (*Niobé et le Passant.*)
— XXX (Didoni) imitatus est P. Corneille; auteur cité par le P. Bouhours; abbé Des Fontaines (Discours sur la traduction des poëtes); auteur cité par Souchay.
— XXXI, imitatus est Barboeuf (*le Songe homicide.*)

Lud. sept. sap., 192, imitatus est J.-B. Rousseau. (Epitre à C. Marot.)

Id. IV 29. (Protrept.) imitatus est Joachim du Bellay (sonnet.)
VI (Cupid. cruc.) imitatus est Hugues Sadel (XVIe siècle.)
(Abbé de Marolles, XVIIe s.)
P.-Ch. Roy (XVIIIe s.)
Fuzelier ou Vergier.
Moreau de laRochette (1806.)
— X (Mosellam), 247 sqq. imitatus est Delille. (*l'Homme des champs*, I, 295).
— XIV (Rosas.) Ronsard. (*les Louanges de la Rose, Ode à Cassandre.*)
Parseval-Grandmaison (*Amours épiques*, ch. VI, 279.)
— XV (De ambig. elig. vit.) imitatus est Ronsard.
— XX (Musarum inventa) imitatus est Danchet.

F. Labouïsse.

III.

INDEX AUSONIANARUM EDITIONUM, ATQUE OPUSCULORUM ALIQUOT, QUÆ DE NOSTRI SCRIPTIS NOVISSIME CONDITA FUERUNT.

---

1. Ausonianæ editiones.

Editio princeps, Venetiis, 1472, in-fol.
Alcensiana, Parisiis, 1511, in-4°.
Aldina, 1517, in-8°.
Pulmann, Antuerpiæ, 1568, in-16.
Jos. Scaliger, Lugduni, 1575; Hedelbergæ, 1588.
El. Vinetus, Burdigalæ, 1580, 1590, in-4°.
J. Tollius, Amstelod., 1669, in-12.
J. B. Souchæus, Parisiis, 1730, in-4°.
Jaubert, Parisiis, 1769, 4 vol. in-12.
Bipontina, 1785.
Weber, Corp. poet. lat., p. 1206-1267.
Panckoucke, Parisiis, 1842, 2 vol. in-8.
Schenkl, Berolini, apud Weidmannos, 1883.

2. Opuscula recentius scripta.

Th. Rähse, *de re metrica Ausonii*, Berol., 1868.

P. Q. Deydou, *Un poète Bordelais*, Bordeaux, 1868.

R. Dezeimeris, *Compte-rendu des séances de l'Académie de Bordeaux*, Bordeaux, 1868.

A Meurer, *de Dec. Magni Ausonii genere dicendi quæstiones*, Monasteri, 1873.

C.-O. Axt, *Quæstiones Ausonianæ maxime ad Codicem Vossianum 111 spectantes*, Lipsiæ, 1873.

H. Speck. *Quæstiones Ausonianæ*, Vratislaviæ, 1874.

Al. Bæhrens, *Ann. phil.*, 1876.

G. Brandes, *Quæstiones Ausonianæ*, Brunsvig, 1876.

R. Dezeimeris, *Leçons nouvelles et remarques sur le texte de divers auteurs*, Bordeaux, 1876.

Corrections d'Ausone, Revue critique, 1879.

Compte-rendu des séances de l'Acad. des inscr., 1879.

Corrections et remarques sur le texte de divers auteurs, Bordeaux, 1880.

Etudes sur le Querolus, Bordeaux, 1881.

M. Mertens, *Quæstiones Ausonianæ*, Lipsiæ, 1880.

Peiper, *Die handschriftliche Ueberlieferung des Ausonius*, Lipsiæ, 1879.

R. Dezeimeris, *Corrections et remarques sur le texte de divers auteurs*, 3e série, Bordeaux, 1883.

INDEX.

Caput I. Ausonius Professor 1
— II. An Ausonius Christianus esset. 11
— III. De Ausonii operibus. 21
1. Præfatiunculæ 21
2. Epigrammata. 21
3. Ephemeris 23
4. Parentalia 25
5. Burdigalensium Professorum commemoratio . 26
6. Epitaphia 29
7. De Cæsaribus 29
8. Ordo nobilium urbium 30
9. Ludus septem sapientium 32
10. Idyllia 33
De Pascha. 34
Epicedion. 34
De Ausonii villula 34
Protrepticon de studio puerili 35
Cupido cruci adfixus 36
De Bissula. 37
Vota Ausonii, consulis 38
Mosella 38
Fortunati Mosella 41
Griphus ternarii numeri 43
Technopægnion 44
Cento nuptialis 45
De Rosis 46

11. Eclogarium 47
12. Epistolæ 47
Ad patrem et filium 47
Ad Theonem. 48
Ad Paulum Axium 50
Ad Pontium Paulinum. 53
Paulini ad Ausonium epistolæ 56
13. Gratiarum actio pro consulatu 57
14. Periochæ in Homeri Iliadem et Odysseam . . 59
Caput IV. De Ausonii genere dicendi 61
Dotes. 61
Vitia 69
— V. De Ausonii re metrica 74
— VI. An Ausonius æquales superaverit 84
— VII. Cur Ausonio poetæ nomen sit denegandum . . 88
Conclusio 93

ADDENDA.

— I. De Ausonii diei natalis ac mortis anno . . . 97
— II. De Ausonii christiana religione 97
Lettre de M. R. Dezeimeris, du 25 décembre 1884, sur le christianisme d'Ausone . . . 101
— III. An Ausonii quædam opera ab illo vere condita sint 104
— IV. In quo ordine novissimæ Ausonii ad Paulinum litteræ ponendæ sint 109
— V. Quædam ad philologiam pertinentia. . . . 112

INDICES.

— I. Index Ausonianorum operum, conservatis notatisque temporibus quibus condita fuerint. . 117
— II. Index aliquot scriptorum, tum latinorum, tum gallicorum, qui Ausonium imitando expresserunt. 119
— III. Index Ausonianarum editionum, atque opusculorum aliquot, quæ de Nostri scriptis novissime condita fuerunt 122

E TYPIS A. PICHAT, CASTELLIONE AD SEQUANAM.

ERRATA.

Cum nonnulla in præsens opusculum, sedulo tamen recognitum, irrepserint menda minori fortasse typographi diligentia, qui non omnia ad manuscripti fidem revocavit, sequentia sic corrigenda annotare liceat :

P. 2, l. 28 ; Pro « nec mireris, » subjiciatur « ne mireris. »
P. 5, l. 8 ; — « deprecatæ, » — « precatæ. »
P. 19, l. 17; — « Liberium, Euriapem, » — « Libanium, Eunapium. »
P. 21, l. 11 ; — « festisvisimum, » — « festivissimum. »
P. 23, l. 19, 21, 27; Pro « Severi, Severum, » subj. « Sereni, Serenum. »
P. 25, adn. l. 1 ; Pro « Dezeineris, » subjiciatur « Dezeimeris. »
P. 32, adn. l. 2, 3 ; Pro « Autonii..., ...centonnario, » subjiciatur « Ausonii..., ...centonario. »
P. 33, l. 10 ; Pro « Chiro, » subjiciatur « Chilo. »
P. 34, l. 27 ; — « gustu, » — « judicio. »
P. 35, l. 9 ; — « munerorum, » — « numerorum. »
P. 36, l. 13 ; — « seriosa, » — « seria. »
P. 36, l. 27 ; — « cruxi, » — « cruci. »
P. 38, l. 8 ; — « verem, » — « ver. »
P. 40, l. 12 ; — « agre, » — « ægre. »
P. 43, l. 12 ; — « Hallieuticorum, » — « Halieuticorum. »
P. 45, l. 23 ; — « centonnario, » — « centonario. »
P. 46, l. 11 ; — « necno, » — « necnon. »
P. 48, l. 16 ; — « rusus, » — « rursus. »
P. 61, l. 7 ; — « haude, » — « haud. »
P. 62, l. 25 ; — « exercitassimus, » — « exercitatissimus. »
P. 89, l. 17, 18 ; Pro « corporalem » — « corpoream. »
P. 90, l. 7 ; Pro « libati, » — « summa rerum delibati. »
P. 94, l. 4 ; — « disciplum, » — « discipulum. »
P. 100, l. 6 ; — « incunalibus, » — « incunabulis. »
P. 121, l. 24 ; — « Hugues Sadel, » — « Hugues Salel. »

E TYPIS A. PICHAT, CASTELLIONE AD SEQUANAM.

E TYPIS A. PICHAT, CASTELLIONE AD SEQUANAM.